



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**


**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Series Episcoporum Moguntiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)



SERIES  
EPISCOPORUM  
MOGUNTIAE.  
PERIODUS I.  
SECVLVM PRIMVM.  
I. D. CRESCENS.

**P**etro Apostolorum Principi, & Paulo gentium  
Doctori non absimiles dedit Discipulos gratia Ser-  
vatoris nostri in omnes abundantissima. Hac ea-  
dem gratia & vocatione prorsus singulari excitati,  
quot regna & provincias tum in Asia, tum in Euro-  
pa peragraverint ijdem Apostolorum Principes, ritè credentibus  
testatur locupletissimè Sacer Codex non magis humanâ manu ex-  
aratus, aut à spiritu privato, quàm divino consilio probatus &  
A Dei

Dei scriptus digito. Inter utriusque Doctoris Discipulos numeratus jam abhinc seculis ferè XVII. D. Crescens, à D. Paulo Praeceptore principijs imbutus Apostolicis, à D. Petro autem omnium Pontificum primipilo Episcopus probatus & confirmatus, non unius tantum regni provincias giganteis quasi passibus est emensus, ut ad optatam metam pertingeret. Non desunt forte Scriptores, qui in Asiae provincias, præsertim verò in Galatiam abiisse autumârunt. In Italia hausisse præcepta à Magistris, rerum ordinem ritè arbitrantibus, non est dubium. Viennæ in Gallia tempore aliquanto sedisse Episcopum contendunt Galli maximè. Omnia Episcoporum Moguntiæ primum Evangelij semen seminâsse, zizania eradicâsse, virtutes plantâsse, idolorum delubra destruxisse, ut Sedes prima cederetur Deo, & altera Episcopo, non tantum Orthodoxi concedunt, sed toto capite annuunt etiam Recentiores Heterodoxi non pauci. Annis 22. Moguntiæ Supremum Antistitem sedisse scribit Trithemius D. Crescentis observator sedulus. Trithemio in enumeratis annis conformes sunt Annales Moguntini. Inter Martyres eminuisse imperante Trajano an. Christi 102. aut 103. concordi sententia tradiderunt Authores Itali, Galli, Germani &c, à quibus dissentit neutquam Martyrologium Latinum. Exuvias tanti Martyris Moguntiæ in æde S. Hilarij sepultas primò, & inde in in S. Albani templum translatas esse, exhibent monumenta antiquissima, quibus accessit novum hoc ornamentum Poeticum in basilica arcis Moguntinæ scriptum:

Bis Moguntinis undenos præfuit annos,  
Et vitâ clarus, clarus & eloquio,  
Martyriumque tulit Trajano Princepe, Christi  
Dum Decades denas auxerat una trias.

## Reflexio

## REFLEXIO

## Supra Seriem Moguntinam Singularis.

**T**Ametsi multis in rebus necesse non sit Historico, Historiam suam nimirum anxiè stabilire probatissimorum authorum firmitate, aut Argumentorum aliorum gravissimo pondere; ut tamen id faciat, suadet persæpe efficacius necessitate consilium. Ea sunt insuper tempora & hominum mores hac nostra ætate, ut quamvis passim Heterodoxorum viri plurimi Historiam scribant, nec tamen probata autoritate, nec ratione ipsi communiant, aliorum nihilominus Historias non Historias, sed fabulas continuò aut calumnias dicant, nisi testimoniis omni exceptione majoribus obruantur, & velut torrente rationum ad assensum rapiantur: quamvis sic etiam frons & oculi sæpe mentiantur, oratio verò sæpiissimè; ut nimis celetur inimica victoria, & qua semel est imbuta recens odorem servet testa diu. Vel ut apertiùs dicam, ne deserit à suis videatur male fundata super fabulas doctrina etiam dogmatica. Quamvis igitur hoc loco fortè nec Hübnerum, nec Hübnero similem nactus sim adversarium, dum de D. Crescente Moguntiæ Episcopo primo cœpi dicere; consultissimum tamen mihi fore prævideo, si ferè singula gestorum capita majora authoritate communivero:

Quæritur itaque I. An in Galatiam missus venerit

D. Crescens?

Q. II. An Viennam Galliæ pervenerit?

Q. III. Si eò pervenerit, an nihilominus annis 22, Moguntiæ Episcopus federit?

Q. IV. An ab Apostolis Episcopus missus venerit?

Respondetur ad I. Etsi epistolam Doctoris gentium ad Timotheum datam perfunctoriè tantum legenti possit apparere, D. Crescentem tetendisse in Asiae Galatiam, minimè vero in Galliam

A 2

liam, aut adsitas Rheno provincias, hæc tamen duo posteriora membra, minimè verò membrum anterius testantur authoritate sua maxima DD. Epiphanius, Hieronymus, Sophronius, Theodoreetus, Ado, Beda, Usuardus, aliique authores magno numero à P. Serario lib. 2. de rebus Mogunt. relati, quā unanimi sententia tradunt, Galatiæ nomine appellatas fuisse seculis antiquissimis Galliam aliásque Rheno propinquas Provincias.

R. ad II. & III. Viennam Galliæ advenisse D. Crescentem, & multo fortassis tempore populum Orthodoxâ doctrinâ & Christianis moribus instruxisse, produnt nobis Ado, Beda, Usuardus, & Petrus Cluniacensis, nec non Martyrologium Romanum die 27. Junij; nemo tamen authorum horum aut aliorum inficias ibit, D. Crescentem Moguntinis præfuisse Episcopum. Quin si singamus etiam, hunc ipsum D. Pauli discipulum aliquo tempore divina explicâsse præcepta in Asiæ Galatia, in Italia, Gallia & quibusdam Germaniæ provinciis; Moguntiæ perinde tamen nec pilus adimitur: superavit enim ætate sua annos omnino 30. ex communi hac de re Scribentium mente. Quippe in Galatiam missus abiit, abiisse eo tempore certum est, quo Magister Paulus alteram dedit ad Timotheum epistolam: annis verò novem ante D. Pauli Martyrium scriptam fuisse, argumentis probat Baronius, quamvis nonnihil refragentur D. Hieronymus, & Eusebius, seriùs eam conscriptam esse affirmantes. Si igitur horum opinionem amplecti & dicere fas sit, anno Pauli postremo epistolam hanc scriptam, & Crescentem in Galatiam missum venisse, haud adversabimur dictis his nostris: namque D. Paulus an. post natum Servatorem 96. capite plexus sub Nerone, D. Crescens verò, an. 102. aut 103. sub Trajano passus est: annorum igitur 33. intervallum inter D. Pauli & huius discipuli Crescentis fata intercessit: cui si demantur 22. anni Moguntiæ numerati; annos omnes reliquos vendicant sibi Galatia & Galliæ

Vienna

Vienna, nimirum annos 11. Quod si tot annorum spatum non sufficiat aut Gallis aut Galatis, quis jure affirmare poterit, D. Crescentem eo, quo Moguntinis leges explicavit tempore, nunc quam excurrisse in provincias alias nunc propinquas, nunc remotas? abhorruerunt certè ab hac sedendi more & mora antiquissimorum Episcoporum plerique, dum oves pascebant, & nova pascua nunquam non inquirebant.

R. ad IV. Inter D. Pauli discipulos floruisse Crescentem etiam, consensu maximo tradidere Patres & Historici tum antiqui, tum medij, tum recentiores, quorum omnium recenset nomina Serarius lib. sui cap. 11. pag. 226. An verò à Paulo, an ab Apostolorum Principe Petro Episcopus missus venerit in Galliam, aut si mavis, in Germaniam, tam parùm dissentire videntur authores gravissimi, ut qui in ea missione partem Petro, & partem Paulo tribuerit, omne punctum tulerit: misit nimirum Petrus, misit & Paulus; hic discipulum ille Episcopum. Quin misisse suo modo Crescentem Apostoli omnes censendi sunt juxta illud, quod habet lib. 1. Constitut. Apostol. cap. 47. *Crescentem Episcopum Ecclesiarum Galatæ Ordinavimus.*

Fallitur nimirum maximopere, qui in Apostolorum Collegio dissensionibus multis aut discordiis locum fuisse existimat: caput unum & membra plura concordes servabant animos; quam concordiam procul dubio à Divino Spiritu datam cum negare non sustinerent Heterodoxorum multi, finxere duo humana capita, Petrum & Paulum Ecclesiæ præesse jussos ab uno supremo Capite Christo Deo.

Verùm inani huic sententiæ caput pridem amputavit una cum C. Bellarmino authorum plurimorum phalanx, argumentis veluti gladiis ex S. Codice petitis potentissima, Cæterum à D. Pe-

tro Româ dimissum esse Crescentem, clarissimè docuere D. Innocentius in ep. ad Januar. Item Rupertus Abbas offic. c. 27. Genebrardus lib. 3. Accedit testimonium Moguntiae antiquissimum hac Methodo scriptum:

Petrus Apostolici Coryphaeus Culminis illum  
Jussit apud Belgas Praesulis esse loco.

## S E C U L U M II.

### II. D. MARINVS.

**P**rimus à D. Crescente Moguntiae Episcopus docuit D. Marinus Martyr, quem alij dixerunt Martinum, cuiusmodi vel error, vel nominis varietas sæpe irrepit in Seriem Romanorum etiam Pontificum, & aliorum in Historia notissimum Praesulum. Plura de hoc & altis Episcopis sanè plurimis non finunt scribere secula antiquissima, quibus libros suos & testimonia sacra abstulit tyrranorum plurimorum non modo in homines, sed & in quævis Orthodoxæ Ecclesiæ monumenta igne & ferro sævientium crudelitas: unde tam in hac, quam sequenti Episcoporum & Archiepiscoporum Serie duplici Virorum nominibus potius, quam gestis & meritis maximis Lectores oportebit esse contentos. Sed D. Marinus an. 6.

III. D. Crescentius.	.	18.
IV. Cyriacus.	.	14.
V. D. Hilarius.	<i>Sed. ann.</i>	20.
VI. D. Martinus, II.	.	14.
VII. D. Celsus.	.	22.
VIII. D. Lucius.	.	10.

Seculum

## S E C U L U M III.

## IX. S. GOTTHARDVS.

**D**icitus ab aliis Godeardus & Bodardus, Trithemio teste multa gentilium millia Christo lucrari studuit, dum firmiter statuit vir esse laboris & doloris patientissimus. Mons geminus etiam hodie prope Moguntiam suspicitur, qui præbuit Gothardo amplum agendi & patiendi campum: supra alterum enim, montem Martis appellatum, vicini populi statuto tempore convenere, ut Drusi Romanorum Ducis memoriam renovarent & Diis litarent. Montem hunc posteri jure meliori D. Jacobo dicatum novo dixerunt nomine Jacobinum. Mons alter, postea mons Martyrum & D. Albani appellatus, locus erat, in quo Christianorum plurimi catenis ligari, suppliciis subjici, & morte crudelissima necari multo tempore confuevérunt. supra montem utrumque pugnare, victoriam adversus tyrannos referre, & trophæi instar gloria Christi insignia figure gavisus est viator Episcopus: aras enim idololatricas impugnavit; idololatras unum Deum adorare docuit: captivos in vinculis solari, ad constantiam hortari, ad mortem fortissimè subeundam animare Christi athletas nunquam destitit. Ut verò certamen non tam verbis, quam factis perficeretur in dies amplius, in vicina montibus planicie ædem erexit Christi unius Dei honoribus dedicatam. S. Nicomedis aream dixerunt denique Christiani posteri. Cæterum quo maximè fato D. Gothardus è vivis excesserit, haud constat: in sacra valle, Dalhemium nunc dicta, sepultum primò, inde verò ad S. Albani locum translatum esse ab Hildeberto Archiepiscopo memorant. Pluribus annu-

nume.

meratum circa annum 221. Etiam scriptores Lutherani scribunt:  
Annis 15. Moguntiae Episcopus pugnavit. *Vide Cochlaeum, & Sueton.*  
*de monte Martis.*

X.	S. Saphronius.	8.
XI.	S. Herigerus M.	4.
XII.	S. Rutherus M.	<i>Sed. an.</i> 20.
XIII.	S. Avitus.	22.
XIV.	S. Ignatius M.	13.
XV.	S. Dionysius.	26.

## S E C U L U M IV.

XVI.	S. Ruthbertus.	12.
XVII.	S. Adelhardus.	10.

## XVIII. S. LVCIVS.

**S.** Lucius II. cognomento Annæus natione Romanus, Ari-  
anis in Catholico orbe propemodum universo jam tum  
invalescentibus non unum tantum posuit obicem & statuit  
aggerem; quare ab eorundem armatis partibus ligatus, & mox  
in exilium ejectus, mortem oppetiit gloriosam, in Phrygia una  
cum duobus sociis Sacerdotibus Paulo & Crescentio fune suffo-  
catus. Igitur tum inter vivos, tum mortuos iis promeritus est  
extolli encomiis, quibus Lucium prosecutus est *Trithemius* in gestis  
S. Maximi vocans eundem *Virum Apostolice atque Sanctissima vita. Sedit*  
*an. 18. vide Surium in vita S. Maximi.*

## XIX. S. Ma-

## XIX. S. MAXIMVS.

**S.** Maximus Moguntiae sub initium Seculi IV. ex honestis iisq; Christiano Dogmate imbutis parentibus natus & educatus, inter æquales suos quæ literis, quæ probatis moribus eminuit. Scientiis dein exornatus & virtutibus, ac inter Sacerdotes adscriptus D. Adelhardo se reddidit gratissimum. D. Annæo adversus Arianos pugil accessit ore, calamo, & opere potentissimus: unde cum in exilium pulso Annæo ægrè adversus violentas hostium manus & insidias ab amicis fuisset servatus Maximus, nemo præ ipso Episcopus Moguntiae placuit. Non humano magis quam divino consilio constitutum Supremum Moguntinorum Præsulem fuisse eventus rerum comprobavit multiplex; Constantius enim ex Constantini M. filiis superstes solus, Arij errores adversus manifesta etiam miracula pertinaciter tueri perrexit: unde non nisi re & nomine maximis opus erat adversariis, qualem se contra Cæsarem ostendit in Oriente D. Athanasius, in Occidente D. Maximus cum sociis Episcopis. Lubeat hanc in rem ex Surij & Trithemij multis verbis non pauca decerpere, quæ ita habent: *Non est eo tempore inventus apud Germanos Pontifex doctor sanctiorque Præsule Maximo, qui tanta sub innocentia & eruditione scripturarum legem ferraret excelsi, quoniam & hereticorum errores verbis & scriptis constantissime redarguit, & fundatus supra firmum Petrum divini amoris nullas eorum persecutiones formidavit. Septies tempore sui Pontificatus ab impiis Arianis urbe Moguntina pulsus est: septies quoque divinâ providentiâ restitutus, nunquam dejectus animo, nunquam victus aut superatus.* Multa alia in laudem Clericorum ejus temporis maximum descriptis Serarius ex Surio & Trithemio; horum prioris vide pag. 241. & seqq.

**XX.** Sidonius I. sed. an 19. sub D. Felice, Liber, & Damas.

**XXI.** Sigismundus. 6. sub D. Siricio & D. Anastasio.

## S E C U L U M V.

**XXII.** Lupoldus. 17. sub D. Innocentio I.

**XXIII.** Nicetius. sed. an. 8. D. Bonifac. I. & D. Cœlestia.

**XXIV.** Marianus. 10. D. Cœlest. & D. Sixto III.

## XXV. D. AVREVS.

**D.** Aureus Moguntinorum Episcopus, ad Clavum Romænum sedente D. Leone I. Pont. electus, qua patria, aut unde domo venerit, haud patet. Librorum nempe partem maximam optimamque tyrrannorum & hæreticorum violentiâ ereptam sibi, queritur etiam hoc quintum Christi seculum, quo Attila Hunnorum Rex Occidentis Imperium ferè totum pessum dedidit, & Arianorum machinatio Ecclesiam Romanam simûlque Germanam plurimam vexavit. Utriusque rabiem ac furorem nimium quantum expertus D. Aureus, ut sese servaret pastorem ovibus, Moguntiam tantisper reliquit, partim flammis, partim ruinis ab Attila eversam, more urbium aliarum maximè in littore Rheni positarum, inter quales numeris sis Spiram, Wormatiam, Argentoratum &c. Victo denique & pene ad internacionem deleto in campis galliae Catalaunicis Hunnorum exercitu, & horum Reges in Pannoniam reduce, redux & ipse Moguntiam D. Praeful non cunctando, sed properando restituit rem. Odium idcirco incurrit Arianorum maximum pastor vigilantissimus; unde cum forte in Sacello prope Dalhemium extructo ad aram faceret, ab Arianorum armata cohorte subito occupatur, multis confundit vulnibus, & unâ cum paris sanctitatis sorore Justina præceps in profundum datur. Annis trecentis & pluribus latuere hæc DD. Martyrum cadavera, nulla sui parte corrupta, & sanguinis rubore aspersa, quæ tandem Richolpus Carolo M. gratissimus.

A. 5.

Archiepiscopus solatio suo maximo reperta in D. Albani templum transtulit, translationem hanc clarissimis miraculis ratam habentibus Superis. Annis 16. præfuit Ecclesiæ Moguntinæ D. Aureus, quem sacra in sede sunt secuti Episcopi complures, non nisi nominibus denuo & fere communibus encomiis celebres, dicti omnes Episcopi laude dignissimi, pastores boni &c.

**XXVI. Eutropius** sed. an. 23. sub D. Leon. I. D. Hilari. & D. Simplicio.

**XXVII. S. Adelbertus** de an. sedis D. Felice III.

**XXVIII. Ratherius** non constat. D. Gelasio.

**XXIX. Adelbaldus** D. Anastasio II.

## SECULUM VI.

**XXX. Landfridus.** de sedis an. sub D. Symacho.

**XXXI. Rudhardus.** non constat. D. Hormista.

## XXXII. SIDONIVS II.

**S**Idonius II. sub D. felice IV. & aliis hujus Seculi V. Pontificibus floruit: quamvis enim de Sidonij annis in sede Episcopali numeratis non clare constet, posteris nihilominus eundem annorum numero & meritis excelluisse, diversæ prodiderunt abundè rerum circumstantiæ: siquidem non nisi sex aut septem numeravit Moguntiæ Episcopos hoc VI. Seculum, inter præstantissimos numerans Sidonium: Moguntiam quippe haec tenus sub ruinis sepultam fuscitavit denuo quà consiliis, quà auxiliis Sidonius. Vigorem pristinum reddidit sacris officiis, eum in finem erectis temlis & ædificijs aliis ad fovendam religionem maximè idoneis. Doctrinâ, eloquentiâ & virtutibus aliis cùm esset in Ecclesia, præsertim Germana celeberrimus, hereticorum sui temporis maleus ex merito suo est appellatus. In egenos præsertim liberalissimum

mum fuisse ferunt adeò, ut pauperum, exulum & captivorum paſſim appellârint refugium. Venantio Fortunato hujus ipsius Se-  
culi VI. Pictaviensium Episcopo, auctori ſanè laudatissimo, pluri-  
mūm obſtricta eſt posteritas, quod hujus ipsius Sidonij encomia ele-  
ganti carmine fuerit proſecutus in hunc modum à Petro Serario  
deſcriptum:

Redditæ ne doleas, felix Moguntia, caſus.  
Antiles rediit, qui tibi ferret opem.  
**N**e mœrori gravi lachrimans orbata jaceres,  
Te meruisse time.  
**P**orrigit ecce manum genitor Sidonius urbi,  
Quo renovante locum, prisca ruina perit.  
Jura Sacerdotum ſacro moderamine ſervans,  
Per cuius ſtudium crevit & ipſe gradus.  
**P**arturit affiduè gravidos Ecclesia fructus,  
Quam vir Apoſtolico viñctus amore regis.  
**S**uſcipit hæredes coeleſti germine natus,  
Tali nupta viro quando marita placet.  
**T**e vigili cuſtode lupus non diripit agnos:  
Te paſcente gregem, non ovis illa perit.  
**C**autiūs in tuto per mitia paſcua ducit:  
Toxica ne noceant, florea rura paras.  
**S**is cibus ut populi, placide jejunia ſervas,  
Et ſatiās alios, ſubtrahis unde tibi.  
**N**udos vête tegis, captivis vincula ſolvis;  
Depoſito reddis libera colla jugo.  
Exulibus domus es, ſimul eſurientibus eſca.  
Felix, cui Christus debitor inde manet.  
**T**e doctrina probum, providentia ſacra modeſtum  
Fecit, & eloquio vincere mellā tuo.  
Teinpla vetuſta novans, ſpecioſo fulta decorē:  
Inſeris hinc populis plus in amore Deum.  
Ut plebem ſoveas, Rheni bene conſtruis amnes.  
Quid terris referet, qui bona præbet aquis?  
**H**ic quod fana micant, ac iſtaurata quod extant,  
Vivis in aternum laude fluente tibi.  
**H**ac cresces longos meritorum fruge per annos,  
Et crescente diu de gregē yota ſares.

Car-

Carmen hoc, tametsi vel seculorum multorum injuriā vitiatum, vel delicatis hisce seculis vix bene probatum, apponere tamen libuit, ut quantus fuerit Episcopus Sidonius, ex testimonio simul Historici & Poetæ antiquissimi colligere liceat.

**XXXIII.** Wilbertus, de an. Sedis non constat. sub Benedicto I.  
& Pelagio II.

### XXXIV. LVDEGASTVS.

**L**Udegastus, aliis dictus Lindegasius, sub Gregorio M. Moguntiae mitrā est exornatus. Eadem ferè ætate Theodoricus & Theodebertus in Austrasia fratres regij, armis sese mutuis aggressi, in Tullensibus denique campis pugnam conseruere: ea enim ex pugna victum ac fugitivum fratrem Theodebertum persecuturus Theodoricus ad Ludegastum Episcopum pervenit, ubi nova consilia intellexit, quibus ad constantiam animatus Theodoricus fratrem amplius est persecutus. Brevissimo hoc compendio laudat Ludegastum Trithemius, vocans eundem magnarum virtutum in Christo virum. Sedit an 8.

### Reflexio Supra Seculum VI.

**H**actenus Hübnerum Seriem Antistitum Moguntinorum unà mecum scribentem in majoris momenti capite refragari mihi vix inveni, quod magni beneficij loco habendum censeo. Id solùm encomio dignum haud judico factum, quo DD. Maximi & Aurei insignes virtutes angusto admodum compendio constrinxit, cum res alias levissimas multis ambagi- bus non cessavit prosequi. Id etiam captu difficillimum hoc Seculo visum est in Hübueriano tomulo VII. pag. 15. ubi author hunc in modum scripsit: an: 525. *Moguntia magna sui parte est restituta, cui restituenda Dagobertus Francorum Rex primus hanc nominis operam suam contribuit.* Enim vero huic VII. multūm adversatur tomul. II. & tabula ex Genealogicis 49. quibus in paginis Dagobertus I. Clotarij filius vix

B 3

anno

anno 600. natus, & an. 631. regnare, & tamen jam an. 525. operam restituendæ Moguntiæ tribuisse refertur. Profectò rarum prorsus naturæ beneficium, centum annis priùs jam regnare, aut operari, antequam nasci. Verùm levior hic inter plures Hübneri defectus facile illi condonatur.

## SECULUM VII.

**XXXV.** Rudelinus, aliis Rudhelmus, sedit an. 10. sub Bonifacio III. & IV.

**XXXVI.** Luthvvaldus, an. 11.

**XXXVII.** Leovvaldus an. 12. sedit,

**A** Trithemio communibus laudantur laudibus, alter *Christianissimus*, alter *Sanctissimus* vocatus. Floruerunt sub Pontificibus Theodo-ro I. D. Martino I. D. Eugenio I. & horum successoribus.

## XXXVIII. RICHBERTVS.

**R** Ichbertus, quem alij dixerunt Rigbertum & Sigebertum &c. Sed an. 13. si tamen turbata tempora statuere annorum sinnunt numerum, profectò hoc seculo incertissimum.

## SECULUM VIII.

### XXXIX. GEROLDVS.

**G** Eroldus Richberti successor foris, quām domi illustrior, plūs Martem promovendo, quām mortem meditando sese consecravit totum, factus denique Martis in prælio & mortis victria. Geminis nimirum bellis Carolus Martellus, Franciæ Major Domus appellatus, tunc temporis implicitus, Burgundos ab obsessa Moguntia repulit, & inde in Thuringiam adver-

sus

Nisi Saxones cum exercitu profectus, hostes provocavit. Geroldus Martello obstrictus gemino beneficio, utpote cuius potenti suffragio in Sedem Episcopalem ascendit, & urbem ab eadem obsidione liberatam novit, se Duci junxit futurum deinceps in armis socium. Etsi verò arma converterentur in hostem Christianis Aris infensissimum, & Geroldus Sacrae meliorique causæ plurimùm confideret, cecidit tamen unà cum multis commilitonibus Episcopus: unde epitaphij loco hoc dystichon mortuo dicavere vel æqui rerum æstimatores, vel quorumvis Episcoporum Zoili & observatores seduli;

*Ense Geroldus obit Præsul, dum dimicat ense;  
Per placet ergo chorum, non adiisse forum.*

#### XL. GERVILIUS.

**G**ervilius, aliis dictus Gebiliebus, si ritè Hübnerus scripsit, fuit Geroldi ex legitimo thoro natus filius. Non multum diversa de Gervilio reliquit nobis etiam Bruschius: quo autem pacto cum Episcopatu constare possit legitimum matrimonium, minime ostendunt. Qualem Episcopum genitor sese gesserit, intelleximus: de filio nunc pauca intelligemus. A Carolo Martello in Moguntiae solium promotus, parùm anxius de ovibus, pastor nomine tenus, in sylvis aves & feras venator cœpit, in campis Martiis miles pugnavit haud æquo Marte: audito enim de genitoris morte nuntio, clam misit gregarium, ut occisorem patris amicis verbis ad se perduceret. Vix ad se perductum gladio, quem oblonga veste occulerat, percussit hostem Episcopus, nemine scelus hoc publicè detestari, aut condemnare auso, eò quod Gervilium Martello percharum esse cognoscerent universi. Ita ferè scriptores citati referunt. Eadem ætate D. Gregorius II. per annos 16. & hujus Successor D. Gregorius III. annis 10. Pontificis Romanii munus arduum summa laude obibant: ab his D. Bonifacius haud semel duntaxat missus, improbis Sacerdotibus tristis nuntius

in

in Germaniam advenerat. Non latere potuit hunc Germanorum Apostolum, & simillimum Argo Ecclesiae custodem nonnullorum Episcoporum, & multorum Sacerdotum negligentia; qua de causa celebratis tum Moguntiæ, tum in aliis Germaniæ urbibus Episcoporum conciliis, auditâ etiam Gervilij audaciâ, latâ in illum Pontificis nomine sententiâ, monasterio inclusit, in quo annis 14. delituit, & vitæ partem ultimam inter optimos pœnitentia fructus absolvit. Pœnitentiam Gervilij epithaphij loco posteris legendam reliquit Poeta hunc in modum canens:

Patrius affectus me movit ad atma cruenta:  
Pœnam quam merui, dignius ergo tuli.  
In claustro latui pro crimine tempore vitæ:  
At licet hic lateam, spero salutis opem.

---

## PERIODUS II. DE ARCHIEPISCOPIIS MOGVNTIÆ. SECULI VIII.

Continuatio.

### I. D. BONIFACIVS.

**D.** Bonifacius in Anglia si non ex regio, saltem ex illustrissimo genere natus, illustrioribus longè virtutibus genus suum exornavit, in D. Benedicti monasteriis ab anno ætatis suæ 13. educatus, & optimis moribus literisque formatus. Inter Magistros Bonifacij eminuit Ven. Beda vir sua ætate nulli secundus. Post annum ætatis 30. Christi 718. missus Sacerdos dotibus raris instructus venit ad Germanos, qualem & ipsum origine fuisse tradunt. Frisia erat, quæ provinciis cæteris præripuit

puit primum honorem, ubi collectis animarum ritè credentium manipulis copiosissimis Romam petiit; & ibidem à D. Gregorio Pontifice Episcopus consecratus, positóque *Vivæfridi* nomine vteri, nomen Bonifacij accepit, ac Germaniam repetiit, impetrata prius facultate disponendi de rebus plurimis in Ecclesia Germanica. Amœnoburgi non usque adeò procul remota à Moguntinis urbe, primò cathedram suam erexit & aram instruxit. Tum verò Moguntiae, & mox in Thuringa, Hassia aliisque provinciis ad confertissimum dixit populum fructu constanter maximo, bene cœpta promoventibus Superis. Romam denuo, imò jam tertio profectus, & à D. Gregorio III. Pont. amplissimis privilegiis munitus, in Germaniam redux Episcopatus varios partim instituit, partim instauravit. Inter Episcopatus institutos venerunt Herbipolensis, Eustadianus & Erfordensis. Inter instauratos jure censetur Episcopatus Moguntinus: anno enim 745. cùm Gervilius, uti memoratum, pœnitentiæ ergo monasterium petere jussus, sedem suam reliquisset viduam, eadem occasione Archiepiscopatus Wermatiæ Moguntiam translatus, & Bonifacio à D. Zacharia Pontifice, ita rem disponente potissimum Pipino Gallorum Rege, est concessus, imò maximè invito impositus totius populi Christiani applausu prorsus singulari. Bonifacius itaque primus Moguntiae Archiepiscopus septem annorum intercedidine rem præstítit humanis viribus longè superiorem. Novo demum, quin veteri denuo accentus animarum Zelo id à Pontifice impetravit multis precibus, & regio Pipni suffragio, ut pluribus Sacerdotibus stipato licuerit secundo Rheno descendere ad Frisones in dies magis convertendos & confirmandos: verùm ibidem post exantlatos labores plurimos, & conductos ad Christi aras fanè diversos multosque, unà cum sociorum electa cohorte à latronibus est occisus an. 755. Exuviae sacræ Divi Martyris primò Ultrajectum, inde verò Moguntiam, & dèmum Moguntiæ Fuldam translatæ sunt, nunquam non miraculis insignibus conspicuæ, fidem non neganti.

C

ganti-

gantibus ipsis Scriptoribus Heterodoxis, è quibus vid. *Hübnerum*,  
*Lexicon Lipsiense*. &c.

## II. D. LVLLVS.

**D.** Lullus inter populares D. Bonifacij in Britannia natus, antecessorem suum vel sanguinis propinquitate, vel certe morum, studiorum & religionis affinitate contingebat. Conjunctione profecto animorum tanta inter utrumque fuit, ut eadem successorem ad imitationem antecessoris potentissime pertraxerit. Lullus namque ut Bonifacij Germanorum Apostoli audiret verba & sequeretur exempla amplius, in Germaniam venit eo secundissimo rerum eventu, ut Bonifacius ipse ad Frisones Orthodoxo dogmate in dies magis instruendos, toto pectore incumbens, abdicata omni dignitate neminem Lullo idoneum magis judicaverit, ut sibi succederet: cuius sententiae pariter fuerunt Stephanus III. Rom. Pont. & Pipinus Rex, commoti facile multis viri præstantissimi meritis, præsertim postquam pervenit Romanum inter Concilij Romani Patres maximi æstimatus. Per magni faciendum esse existimavit etiam Wittekindus Saxonum Rex & Dux M. ab Archipræsule Lullo dogmate Romano instructus, & Baptismatis salutari aqua ablutus. Annis 32. partim servandæ, partim plantandæ consecravit Ecclesiæ Moguntinæ, in qua extructis ædibus sacris, et cœnobiis compluribus, singularis zeli, vigilantiæ, prudentiæ, doctrinæ & sapientiæ reliquit argumenta, monumentis etiam hodie variis posteritati comprobata: inter quæ æstimemus non parvi & illud, quo D. Archipræsul ab anno obitus sui 60. restituit subito vigorem pedi, cui paulo antè Sepulchralis ejusdem B. Archiepiscopi lapis è tumulo levatus, atque in pedem adstantis fortè delapsus, omnem ademerat usum. Non omittendum illud etiam, quo Archipræsul sanum atque incolumem Alboinum Burriburgensem Præsulem brevi moriturum prædixit, & sibimet mortis articulum propinquissimum adesse cognovit an. 787. Caput B. LuL.

B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas  
Collegio Soc. Iesu Moguntiae inter reliquias sacras servandum de-  
navit, Hildesiâ translatum an. 1603.

### III. RICHOLPHVS.

**R**icholphi post D. Bonifacium Moguntiae Archipræsulis se-  
cundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent  
tamen gesta & fata ultima. Regi & demum Imperatori  
Carolo M. à consiliis constanter, id bene meritis suis impetravit  
haud difficulter, ut Cæsaris interventu Pontifici placuerit Archi-  
episcopus, cuius difficile munus ea methodo obiit, ut à quo repre-  
hensus sit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo  
labore reperias. Ad amissim verò ut fierent omnia à subjectis Ri-  
cholpho Episcopis & Sacerdotibus, nec deesse passus est monita,  
nec præcepta Ecclesiæ Romanæ autoritate præmunita: unde ex  
Hispania Moguntiam usque transferri curavit Canones Pontificios  
Isidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magis  
verò constaret omnibus ritè de Ecclesiæ legibus, an. 813. Mogun-  
tiæ Synodus celebravit, & alteri Synodo Wormatiæ celebratæ in-  
terfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Justinæ sacras reli-  
quias populo visendas & honorandas proposuit, simûlque D. Al-  
bani honoribus dicatum templum magnificentissimè extruxit:  
dein verò quocum consilia vivus conferebat, cum eodem Impera-  
tore mortis sententiam sustinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus  
post annos Sed. 27.

### SECULUM IX.

#### IV. AISTVLPHVS.

**A**istulphus B. Lulli discipulus, in quem quantumque deniq;  
Magistrum evaserit, multorum loco sit testis Rabanus, for-  
tè etiam Aistulphi discipulus doctissimus, & in Sede Mo-  
C 2 guntina

guntina successor dignissimus, qui librum de Institutione Clericorum præter libros alios plurimos, scitissimè conscriptum, cùm Aistulphi consecraret honoribus, hæc libro præfigere verba non dubitavit, instar prototypi posteris relicta: *Te, Sancte Pater, pro merito summa pietatis plurimi venerantur, & omnibus fidelibus, causa magnæ fidei & sanæ doctrinæ, honorabilis atque amabilis existis.* *Te benignissimum atque equissimum esse scio, &c.* his addidit epitaphium hoc maximè modo scriptum:

*Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulchro,*

*Pontificale sacrum qui bene gessit onus.*

*Bis senis urbem hanc Pastor qui rexerat annis,*

*Dogma & Apostolicum protulit ore sacro.*

*Justitiae Custos, rectus, patiensque, benignus,*

*Fidus in eloquiis & pietate placens.*

*Lulli discipulus, Successor ritè Richolphi,*

*Ambobus meritis, non minor iste fuit.*

*Quis te sancte Pater cum Christo ne sciat esse,*

*Splendida quem tecum vita fuisse probat.*

Sedit an. 12. sub Stephano V. & Paschali I. Pont. an. 816. mort.

## V. OTGARIUS.

**O**Tgarius, aliis Odogarius appellatus, Wione teste nobili loco in Germania natus, & D. Benedicti Regulâ instructus, Principi Monasterio Campidunensi Antistes præfuit omnium primus, haud dubiè D. Hildegardi Augustæ gratissimus. His tamen dictis multùm refragantur Serarius, Bruschius & authores alij, Otgarium hunc nostrum à priori fuisse loco & tempore diversum longè, testati. Archipræful verò hic noster eorundem authorum testimonio D. Ansgarium unà cum aliis inunxit Episcopum. Danorum Regi Haraldo affudit salutares Baptismatis undas, & Ludoviço Pio Cæsari animam agenti adstitit. Obortis dein inter Ludovici filios litibüs denuo & bellis gravissimis, nolens volens in Lotharij denique partes consensit, nec seriò refragatus Ludovicō

dovico, nec Carolo: unde effatum poeticum à Nidhardo Angelberto relictum ita habet:

Scilicet arma minùs, quām Sacra Otgarie noras.

Concilium an. 834. præsentibus Archiepiscopis Trevirensi & Coloniensi unà cum Suffraganeis celebravit. In Italiam annis Archiepiscopatus sui ultimis, ut lites regias Pontificis autoritate juvaret componere, profectus, D. Severi reliquias Ticinô in Germaniam secum retulit, postquam Moguntiam illustravit annis 22. sub Pontificibus Paschale I. Eugenio II. Valentino & Gregorio IV. quin & Sergio II. an. 847. vitâ defunctus.

## VI. RABANVS.

**R**abanus Magnentius Maurus Fuldae in Hassia natus, educatus, optimis moribus & literis in monasterio antiquissimo juxta ac celeberrimo imbutus, ibidemque supremus artium ac scientiarum Magister, Rector & demum etiam Princeps Abbas jure optimo electus, ornamentum suo præsertim seculo fuit Ecclesiæ & Imperij maximum. Nemo nimurum Imperatori Ludovico Pio & hujus filiis pretiosior erat Rabano, qui ea moderatione animi inter publica dissidia se noverat gerere, ut tametsi litteris solaretur Augustum parentem variis, Augusti tamen filij suas partes offendì haud fuerint conquesti, non minùs epistolis & foliis palam in lucem editis instructi & animati, ut genitori cederent filij, & Imperatori promptam exhiberent obedientiam subditi universi. Annis & meritis jam gravi, communi omnium Canonicorum & populi applausu oblatum est pedum Moguntinum, ea nimurum Præfusis ætate, qua baculo senectus ipsius opus habebat & Respublica novo Scipione. Ut verò solitudinis amantissimus Antistes tantum onus in se susciperet, necesse fuit, ut Pontifex, Imperator & vox populi id ipsum consiliis suaderent, & precibus urgerent. Tot igitur vocatus suffragiis venit, & 9. annorum compendio plu-

ra egit, quām agere solent multi alij plurimorum annorum longo  
spatio: habitō namque Moguntiæ Concilio Godeschalcum con-  
demnavit cum sectatoribus, simūlque Moguntinam cum Ecclesiis  
præsertim Germanis omnibus doctrinâ & morum emendatione il-  
lustravit, haud ipse gravatus senex ad concionem dicere, in urbes,  
oppida & villas Apostoli instar excurrere, atque in subjectorum sibi  
antistitutum simūlque parochorum vitam sedulò inquirere; quæ om-  
nia eō magis sunt admiranda, quod simul ingentem librorum co-  
piam ingenij sui partum fœcundissimi posteritati potuerit relin-  
quere; quæ aliāq; multa cum partim à Wione & Trithemio, partim  
à C. Bellarmino, Sigeberto, Brovvero aliisque multis authoribus  
copiose fuerint descripta, ego pluribus hīc referre nolui. Brevita-  
tis causā id solūm silentio haud prætereundum duxi: grassante pe-  
stilentia & famis publicæ malo Rabanus diebus singulis pro tribus  
pauperum millibus alimenta subministravit, non annumeratis iis  
mendicabilis, quæ domi alere non est gravatus, jure pauperum Pater di-  
ctus. Multis vixisse annis ex eo colligit Lector, quod an. 810. jam  
Rector Fuldae promulgatus, an 822. Abbas electus, & demum Ar-  
chiepiscopus creatus sit, mortuis annumeratus an. 859.

## VII. CAROLVS.

**A**bsit procul à nobis, ut vitam damnemus Monasticam, quam  
aulis regiis præhabuerunt Imperatores & Reges, & Regum  
filij, terrestres Dij. Carolus Pipini Aquitaniæ Regis filius,  
Ludovici Pij Imperatoris nepos, relictis aulae deliciis, Corbejense  
monasterium ad Visurgim situm petiit, in quo tantum profecit, ut  
virtutibus longè excellentior, quām genere clarior, promeritus sit  
inter Archiepiscopos Ecclesiæ Germanicæ primus honorari & cele-  
brari. Hoc in celsissimo munere quanti æstimare perrexerit Mo-  
nachorum Regulam, ex eo collegere etiam gnavi rerum observato-  
res, quod Caroli Archipræfuslis hortatu aut consilio persuasus Im-  
perator

perator Lotharius, Imperij fasces reliquerit, Augusto pede Prumien-  
se cœnobium ingressus, dato posteris documento, satius esse obe-  
dire, quam imperare. Hujus Archipræsulis laudes eximias com-  
mendârunt etiam epistolæ non paucæ Pontificiæ, quibus Pontifex  
D. Nicolaus cognomento Magnus eundem animavit, ut Ecclesiæ  
& Imperio pro viribus prodesse pergeret; quo minus tamen per-  
gere potuerit, impedit mors coronis & mitris major post annum  
Sed. 7. Leg. Gratianum, VVionem, Cochlæum, Serar.

### VIII. LINDBERTVS.

**L**indbertus à variis authoribus vario scriptus nomine, id ab universis & singulis obtinuit encomium singulare, ut à nemine reprehensus, ab omnibus laudatus fuerit multis modis. Et sanè difficillimum fuit laudem mereri hominum ferè omnium eo tempore, quo in partes divisi nepotes Ludovici Imperatoris inter se pugnârunt, & Lotharius Austrasie Rex repudiata conjuge Theutbertha, Walradam obmurusante Germaniâ ferè universâ, Italiâ & Galliâ, thalami consortem deperibat. In multipli eoque diffcili rerum articulo opus fuit Lindberti arte & consilio, melle & felle, vino & absinthio, ac tandem gladio & fulmine, ut Supremi Pontificis sententiâ refecarentur ab Ecclesiæ corpore membra pertinaci lue infecta Rex Lotharius & adulatores duo etiam Archiepiscopi cum appendice, ut fit, longissima. Hinc coactum est Concilium Suessonense, in quo Lindbertus contra Regem, Trevirensim simul & Colonensem Archiepiscopum dixit mentem suam, ac demum Pontificis nomine anathemate armatam sententiam, in utriusque sedem vocatis Archiepiscopis novis. Virtutem constantiæ tum maximi fieri meritò, nōrunt universi, cùm instar auri igne, hoc est difficultatibus examinantur maximis. Ita profectò Archipræsulis Moguntini opera instar probati auri examinârunt & laudârunt tempora difficillima, nec latum

un.

guem à suo proposito hunc Archipræfulem dimoventia. Argumento probatissimæ virtutis erat etiam Carolus Crassus postea Imperator, cùm juvenis adhuc à dæmone arreptus tristissimum in modum est divexus, nec alio adversus orci mala adhibito remedio, quām solius Lindberti precibus liberatus. Idem Carolus successu temporis ob varia rerum capita, communis totius Imperij calculo exauthoratus, inter homines ferè neminem, nisi solum Lindbertum habuit solatorem reliquum, qui plenus meritis an. 889. diem obiit suum publica populi voce inter Beatos jam tum relatius. Sedit Moguntiæ annis 26. sub Pontificibus sex, nimirum Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. Mariano I. Hadriano III. & Stephano VI. Vide Reginonem, Annales Pithœanos, &c.

### IX. SVNDEROLDVS.

**S**Underoldus ex Principe Monasterio Fuldensi in Moguntiæ Ecclesiam evocatus, trium annorum compendio absolvit partem vitæ reliquam: Normannis enim barbaris in Germaniam irrumpentibus, & ad Mosam fluvium maximè clades inferentibus, cecidit inter Christianos Dux Dux ipse & gregarius miles Archiepiscopus, qui accensus zelo Apostolico pro re Orthodoxa pugnavit, more Martyrum occisus ab hostibus Christo infensissimis: Unde inter Martyres Archipræfulem hunc à literis & virtutibus laudatissimum aperte numerarunt *Sigebertus & Trithemius*.

### X. HATTO I.

**H**atto aliis *otto* dictus, obscuro genere (an in Suevia, an alibi incertum) natus, naturæ tamen dotibus clarissimis instritus, in Augia divite & Monasterio Elvaciensi Präful, multis præclaris inclaruit facinoribus, reprehensus ob id demum maximè, quod claram nominis sui suorumque famam solis aut syderis instar ful-

geno

gentem iniquissimo facinore veluti densissima nube aut eclipsi obscuraverit. Rei seriem pictores depinxerunt & authores descripsierunt *Marianus Scotus, Lambertus & Otto Frisingensis*, cuius ultimi verba referre lubet, ne quid demptum, aut additum videatur à novo calamo. Circa annum 907. *Albertus nobilissimus Francorum Comes, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos Conradum*, qui à quibusdam Ludovici Regis frater fuisse creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum *Heroa in castro Babenberg*, ubi nunc nobilis Episcopatus cernitur fundatus bello petuit. Cumque viribus se proficere posse non videret, *Hatto Moguntini Archiepiscopi consilio ad dolum se contulit*. Itaque ut non solum in Regum gestis inventur, sed etiam in vulgari traditione in compitiis & curiis hactenus auditur, praefatus *Hatto Albertum in castro suo Babenberg adiit, eumque Dei pietatis obtentu, de gratia Regis adipiscenda convenit*. Ille devote monitis ejus obtemperans, humiliter conductum de personæ propriæ incolumentate petuit. At ne multis morer, interposita Sacerdotis praefati fide iter carpunt. Vix castro exierant, jam proxime vico, qui Theurflatt dicitur, appropinquabant, & Episcopus, grave, inquit, erit nobis sejunctum sustinere: si placet, antequam Regi presentemur, ad prandium divertamus. Tum ille, simplices aures more antiquorum habens, dolunque minimè presentiens, gratanter eum ad prandendum in castro, unde digressi fuerant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam venivit: in causa princeps ponitur, ac tanquam reus Majestatis, capite plectendus adjudicatur. Monet ille Episcopum de fide data; quam è contra ille se bene in hoc, quod sanum & incolum eum in castrum reduxerit, servasse respondit. Sic praefatus *Albertus capite plectitur possessioneque ejus, è quibus postmodum Babenbergensis Ecclesia locupletata dicitur, in fascium redactæ sunt*. Ju dicent de hoc sacerdotis facto aliij (nimirum excusat varij varie) quod velint, & tanquam pro regni utilitate commissum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non solùm quemlibet Christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde in causa capitali loqui non debuisse arbitror Episcopum. De mortis genere post varias omnino Historicorum relationes hodie non satis constat: sunt enim qui fulmine percussum, aliij in prælio cæsum, aliij demum mœrore confectum dicunt. Annis 21. verius instar militis egisse, quam Episcoporum more vixisse dicunt, dum sederunt Pontifices Formosus, Stephanus XII. Romanus, Theodorus II. Joannes IX. Benedictus IV. Leo V. & Sergius III.

D

Seculum

## SECULUM X.

## XI. HERIGERVS.

**H**erigerus ex Fuldensi Ecclesia in Moguntinam translatus, Pij Episcopi nomen insigne eximiis suis virtutibus obtinuit, Henrico Aucipi Imperatori constanter acceptissimus. Virtutibus probè instructum fuisse, finis demum, rerum laude dignissimarum corona, monstravit: postquam enim an. 12. Archipræsul pastorale pedum gesisset, id successori consignavit, ut annos vitæ reliquos morti felicissimæ consecraret. An. 930. sepultus multa posteris de se encomia reliquit, quæ tamen tantillo compendio hodie constringere jubet rerum plurimarum ignoratio.

## XII. HILDEBERTVS.

**H**ildebertus natione Francus Orientalis in Fuldensi Monasterio Præsul primò electus, & mox à Moguntia Archipræsul postulatus, permultos nactus est laudatores suis librīs hodie etiam clarissimos. Multis profectò laudibus Hildebertum prosecuti sunt *Trithemius*, *VVitikindus*, *Otto Frisingensis*, *Serarius alioque*, quorum calamo teste Superi virtutes Hildeberti prophetiae dono amplius illustrarunt. Magni proinde jure æquissimo æstimarunt Moguntiæ Antistitem Otto M. & Archipræsules Trivirensis ac Coloniensis, inter quos ortam de corona Regi imponenda litem authoritate ac prudentiâ facile discussit Hildebertus, qui an. 936. Aquisgrani coronavit Ottonem I. Imperatorem. Deanno obitūs haud convenere Scriptores, dum alij annum seculi X. 36. alij 38. alij demum 39. expresserunt: sedit itaque circiter an. 12. sub Pontificibus Joanne X. Leone VI. Stephano VIII. Joanne XI. obscuris sanè temporibus.

## XIII.

## XIII. FRIDERICVS.

**F**ridericus Lotharingæ Dux Giselberti Ducis frater non minus, quam Antecessores Archipræfules ex Fuldensi Episcoporum multorum seminario fertilissimo evocatus, suis præclaris facinoribus Moguntinum solium exornavit, hoc uno fere ex capite à multis reprehensus, ab aliis nequaquam inventus reus, quod Ottonis Imperatoris & affinis sui partes, cuius tamen beneficio Moguntiæ Præfus electus fuisset, unà cum aliis Viris Principibus oppugnasset, præsertim cum Brisaci per magnam anni partem præfidiarios inter milites sedisset, animo Cæsari vim inferendi. Fridericum hunc nempe adversus Imperatorem irritavit pri- mò Giselbertus frater, Ottonis M. sororius, Gerbertæ Henrici Aucupis filiæ conjux, qui Rheni fluctibus an. 939. haustus, ingen- tem animi mœrorem fratri Archipræfuli reliquit. Inde simultatem in Archiepiscopi animo fovebant Henricus frater Imperatoris, Bojorum Dux, cui consilia & auxilia junxit Ludolphus filius Suevorum Dux, secundas Augusti genitoris cum Adelhaide nuptias detestatus. Imperator itaque, fortassis haud immerito, etiam Friderico iratus maximè, hunc Moguntiæ Fuldam redire compulit, sed & sedi pristinæ restitui curavit teste *Rheginone, Rotgero, Trithemio, Serario*. Annis fedit 15.

## XIV. GVILIELMVS.

**G**uilielmus Ottonis M. filius an ætatis suæ 24. in Moguntiæ Antistitem annitente plurimùm Augusto genitore, & an- nuente Pontifice electus, à S. Brunone Colonensi Ar- chipræfule patruo suo fuit consecratus. Annis dein tribus elapsis Ludolphum in Italia defunctum luxit, & huius exuvias in Germaniam relatas, in D. Albani templo sepelivit. Fratrem alterum Ottонem ex Adelhaide noverca natum, & an. 961. in Imperij Regem electum, atque à magno parente sibi creditum, Wil-

D 2

helmus

helmus virtutibus exornavit, ipse virtutibus multis maximè illustris, & conspicuus omnibusque charissimus. Virtutes profectò eximias suspererunt in Wilhemō etiam Adelbertus & Dithmarus, quos amboſ consecravit Episcopos, & horum priorem Russis misit Apostolum, posteriorem verò Bohemis, aut utrisque. Multis dein lacrymīs prosecutus est ad tumulum usque populus copiosissimus Wilhelmmum añorum 37. ut ajebant, *Iuvenem*, cui D. Mathildis Augusta avia adstanti ſibi prædixit fata ultima, & mox absentis intellexit an. 967. eodem mense etiam ipſa mortua, ingenti Ottonis M. mcerore, ſimul & matrem & filium lugentis. Annis fedit 13. *Rhegino*, *Rotgerus*, *Serarius*

### XV. HATTO II.

**H**atto II. Hademarij Præfulis Fuldensis nepos, avunculo ſuo vitâ functo ſuccedidit in officio, par eidem, ut ajebant, in virtutibus. Ab Ottone M. etiam permagni æſtimatus, & consiliis adhibitus, inter eos fuit, qui Cæſarem Romam petentem præcucurrerunt nuntij. Romam venisse & vidiffe profuit plurimū Hattoni: Imperator enim audita Moguntini Archipræfulis morte, cùm ſuccellorem alium, quād Hattonem non expetaret, ad vota paratiſſimum habuit Joannem XIII. Pontificem, qui pallium concesſit. At verò non niſi tribus aut duobus Moguntiæ ſolium occupavit an. 970. jam extinctus fato admodum tristi, ſi habenda sit fides Heterodoxis Scriptoribus, qui à prodigioso muſium agmine conſumptum eſſe finixerunt, quod multorum pauperum catervam famis tempore ſibi oppidò moleſtam horreo ſuo includi, & tyrannorum more Vulcano immolari jufſerit. *Vide* hac ſuper re Serarium, cui libuit multis aperire mentem ſuam & dicere ſententiam. Nos verò compendio contenti dicamus: *si contigit* Hattoni ita mori. Deus ſcelerum vindicta ostendit ſignum, quo abſterri divites amore prosequerentur deinceps pauperes. *Quid* tum peſtea? *quid* lucri inde haurient vel Scriptores, vel Lectores Heterodoxi? profectò nihil capio, nihil video, niſi argumentum etiam Heterodoxis relictum, ut nimirum & ipſi credant, iſſis etiam ſeculis patras eſſe mi-  
racula

racula nunc miserentis, nunc punientis Dei testimonia. Lucrum cōpiant Heterodoxi alterum, quo dicant deinceps credere miraculis, at non tantum sibi, sed & mihi farentibus.

### XVI. RUPERTVS.

**R**Upertus Hattonis successor, cuius originis aut stemmatis foret, inquisiverunt cum Serario authores varij; aliud tamen non invenerunt, quām obscura & dubia omnia, inter quāe numerandi sunt etiam anni sedis, quorum alij 4. alij 7. compūtarunt. An. 977. diem obiisse suum verior habet opinio, dum nimirum Romæ sedit Benedictus VII.

## PERIODUS III.

### DE ARCHIEPISCOPIS SIMVLQVE ELECTORIBUS MOGUNTINIS.

### XVII. WILLIGISIVS. ELECTOR I.

**W**illigisius Stromingæ in Saxonia seculo X. circa annum 40. ex parentibus tenuis fortunæ natus, literarum studiis & morum probitate, quāe sēpe pauperibus ad ardua viam sternunt, eō sensim ascendit, ut ex Parocho aulæ Imperatoriæ Archisacellanus, ut vocant, & Ottoni III. à teneris annis supremus moderator constitutus, ob insignia sua merita sit denique promotus in geminum Moguntiae thronum, an. 977. electus Archipræfus & an 998. Imperij Elector primus, ita disponenre Gregorio V. Pontifice & Ottone III. Cæsare, quōd hic hærede se destitutum, & Imperium ex hæredum defectu prioribus seculis fuisse turbatum probè intelligeret, & admodum doleret. Antequam verò hunc ultimum dignitatis apicem concendit, D. Bervvardum Hildesia consecravit Episcopum, & paulò pōst S. Adelbertum Pragensem Archiepiscopum. Monasterio Hersfeldensi Præfulem dedit Gothardum; sorores verò Augustas Ottonis III, Sophiam & Adelhai-

D 3

dem

dem in Parthenone Gandershemensi & Quedlinburgensi sacro velamine exornavit. Multa eidem necessitudo fuit cum D. Burchardo Wormatiensi Episcopo, Conradi Imperatoris II. præceptore quondam celeberrimo, qui Willigisum suum dixit parentem & magistrum. Quantum hic ipse multorum Magister & Doctor, nec non ædificiorum sacrorum conditor vel restaurator profuerit sacris ædibus & monasteriis, recensere nimis prolixum foret. Mansuetudo Willigisij & animi demissio quanta fuerit, duo duntaxat hoc loco ex multis prodant capita. Cùm assentatores verborum lenociniis instarent, clam & palam sibi occinebat Elector: *VWilligis, VWilligis, recole unde veneris,* quo dicto obscuros suos sibi natales & memori menti & oculis proposuit: unde insignibus etiam suis rotam inferi præcepit, posteritati dicturus, Willigisij Electoris Moguntini parentem in tribu fabrorum lignariorum numeratum fuisse, qui conficiendis rotis dedisset operam. Rerum caput alterum erat: D. Bervvardus præsente D. Imperatore Henrico II. jura sua ab Electore Moguntino violari conquestus, tantum à Willigisio impetravit, ut hic admissi erroris veniam palam precatus, omnem deinceps favorem & amorem promiserit, & promissum servarit Bervvardo: unde lætissimus D. Henricus, nupèr electus Imperator, Willigisij manibus coronam Imperij sibi imponi tanto lumentius admisit, quanto majorem animi demissionem & æquitatem hoc in Antistite deprehendit, qui Ecclesiam suam annis 34. illustravit sub octo Pontificibus, nimirum Benedicto VII. Joanne XIV. Joanne XIV. Gregorio V. Sylvestro II. Joan. XVI. Sergio IV.

## SECULUM XI.

### XVIII. ERCKEMBALDV ELECTOR II.

**E**rkembaldus Comes Summersenburgicus sanguinis propinquitate junctus erat D. Bervvardo Hildesiensi Episcopo, à quo

à quo inunctus & consecratus est Moguntiæ Archipræfus. In sede sua à Pontifice Sergio IV. confirmatus, monasterium extra Moguntiæ mœnia extruxit à S. Cruce hodie nuncupatum. Dedicationi principis templi Bambergæ præsentibus Pontifice Benedicto VIII. & Henrico Cæsare adfuit unâ cum aliis 71. Episcopis. Inter beneficia à Cæsare impetrata venit illud, quo populationibus Comitis Ottonis ob illicitas nuptias sacro fulmine percussi, Henrici Cæsaris authoritate facile est liberatus. Ecclesiæ suæ præfuit annis 9. sub prædictis duobus Pontificibus,

### XIX. ARIBO ELECTOR III.

**A**ribo natus comes Palatinus doctrinâ sacrâ simul & profanâ instructissimus, epistolis omnino variis diversos ad illustrandam eruditionem viros invitavit. Inter monumenta Aribonis clarissima jure celebratur liber in Psalmos ab eodem elaboratus. Synodum unam Seligenstadij, alteram Moguntiæ, tertiam Francofurti instituit, quarum ultimæ 23. Episcopi interfuerunt, præsente Conrado II. Imperatore. Decreta saluberrima iisdem Synodis sunt firmata, præsertim verò, quæ jejunium vernum & quatuor temporum, à Germanorum plurimis neglectum, spectabant, & hodie supersunt. Modestiam ac prudentiam Archipræfulis singularem ex eo collegerunt æqui rerum Arbitri. Dum nimicum litem inter Willigisium & D. Bervvardum jam finitam Aribo denuo suscitavit, ea re grave negotium & fastidium faceſſivit D. Gothardi monasterio. At demum causâ penitiùs discussâ, errorem suum publicè detestatus, veniam rogavit, veniam donans ipse quovis suos adversarios. Annis 11. decoravit Moguntinam Ecclesiam; annorum ultimo die D. Conrado sacra Paderbornæ præſente Cæsare dixit ad concionem, ubi pariter Romam petendi copiam Imperatorem rogavit, & simul omnium suffragia imploravit, ut errores suos salutari pœnitentia inter vivos posset eluere. Eluisse

verò

verò Aribonem suas qualescumque labes censuit ipse Pontifex Jo-  
annes XVIII. an. 1031. quo Aribonem brevì fatis concessum ex  
Italia in Germaniam remisit, ut corpus morbis confectum Germa-  
nica tellus reciperet, animam verò virtutibus pretiosam Cœlum  
suscepere.

### XX. D. BARDO ELECTOR IV.

**D.** Bardo ex perillustri Wetteraviæ familia natus, atque in Hassia monasterio Hirsfeldensi Abbas electus, pedo minore prælusit longè majori, quod dedit Moguntia longè dignissimo. Moguntiam ubi pervenit, nihil antiquius habuit, quam ut ædem à Willigis coeptam, & D. Martini honoribus consecrandam, daret absolutam. quod utrumque evenit præsen- te Conrado Cæsare & XVII. Episcopis. Inunxit idem deinde Moguntiæ Archipræsul Henrici III. post Conradum II. Imperato- ris conjugem alteram Agnetem Pictaviensem, & Ingelhemij Augu- stis adstitit nuptiis. Propter eloquentiam sacram, qua in templis & apertis campis ad confertissimum auditorem in viam virtutis reducendum maximopere usus est, D. Præsuli Chrysostomo fuit comparatus parique nomine cum eodem appellatus. An. 1051. sedis 20. cum die Pentecostes sacra Paderbornæ ingentem populi multitudinem, audiente etiam Cæsare Henrico, ad divini Pnev- matis honorem augendum fuisset hortatus, mortem sibi brevì ad- futuram prædixit vates, oracula dictante eodem divino Spiritu, cuius beneficio D. Bardoni concessa esse alia dona maxima mon- stravit D. Anno Coloniensis Elector, qui hominem membris omnibus captum, Moguntiæ ad tumulum S. Bardonis in pedes ere- xit testimonio totius populi publico. Sedit sub Pontificibus Be- nedicto IX. Gregorio VI. Clemente II. Damaso II. & Leone IX.

### XXI. LEOPOLDVS II. ELECTOR V.

**L**eopoldus aliis Luipoldus dictus, inter Fulenses & Bam- bergenses aut Canonicus, aut Abbas celeberrimus celebra- ri

ri amplius Moguntiae est promeritus. Quampiam ejusdem notitiam nobis reliquerunt D. Leo Pontifex & Henricus III. Imperator Wormatiæ enim coram Leone IX. ritu soleñissimo ad aram fecit primus post Pontificem Sacerdos. Anno dein 1054. cùm in Romanorum Regem inauguratus fuisset Aquisgrani, Henricus IV. Augusti filius, idque singulare honoris munus Hermanno Coloniæ Archipræsuli committi Imperator cuperet, nata est exinde ansa diuturnis inter utrumque Archipræsulem litibus. Cæterum inter Luitpoldi monumenta permagni æstimatum est monasterium in monte Venusto Moguntiam propè positum, & D. Benedicti filiis ab eodem concessum. Annis sedit 8. sub Pontificibus Leone IX. Victore II. & Stephano X.

## XXII. GIGFRIDVS ELECTOR VI.

**O** Felicem Germanam Ecclesiam, quæ, dum pene jam concidit in ruinas Imperium, tamen stetit firmissima, non cedentibus, non cadentibus Germanis Episcopis. Sigfridus ex illustri Eppensteiniorum stemmate oriundus, in principe Fulden-sium cœnobio optimè formatus literis & moribus, primò Fuldæ Præsul, inde Moguntiae Archipræsul, & Elector Imperij, peridonea virtutibus suis multis nactus est tempora per annos 24. non nisi Superum singulari beneficio conservatus Antistes constantissimus. Anno Archiepiscopatus sui 4. Palæstinam adire, & quasvis tanti itineris molestias ac pericula subire non dubitavit. Comites tanto Duci accesserunt Episcopi complures, Güntherus nimirum Bambergensis, Otto Ratisbonensis, & Wilhelmus Ultrajectensis cum Præsulibus minoris notæ pluribus. Teste Mariano Scoto universorum capitum numerus septem implevit millia, quorum quinque partim viæ longioris difficultatibus, partim barbarorum prædæ inhiantium insidiis & apertis vulneribus succubuerunt. Reversus verò ad oves suas Sigfridus, lupum invenit Henricum IV. Cæsarem, qui dum Bertham Marchionis Itali filiam, conjugem suam

E

am

am legitimam cœpit respuere, multorum malorum prodromum egit, Sigfrido constanter meliora suadente, & tandem Pontificis nomine pro Republica Christiana imperante. Difficultati jam multiplici an. 1070. accessit illa non minima, qualiteris Româ datis iussus est Moguntiæ Antistes poenit simoniæ crimini jam statutis excipere Carolum Constantiæ Episcopum, inter Simoniacos Romæ, & inde an. 1071. Moguntiæ condemnatum. Anno huic proximo prætextu sacræ peregrinationis profectus in Galliam, in Cluniacensi monasterio inter Novitios adscribi petiit; cui proposito ne diutiùs inhæreret, ab universo subdito populo cruentis prope modum lacrymîs repetitus, comuni denique omnium cessit calculo & suspiriis, ut privatum commodum postponeret Reipublicæ damnis eo tempore gravissimis, quæ nec tollere, nec impedire penitus cum sociis Episcopis & Viris Principibus sat serio nec serò volebat, denique tamen non valebat. Ea nimirum Ecclesiæ & Imperij tempestate turbatissima à Gregorio VII. Pontifice, & potissimum in Imperio Principum parte, Henrico Cæsari in supremo folio subrogatus est Rudolphus, Comes Rheinfeldenis dictus, Imperatoris affinis, cuius partes ut nunquam non fortissime deinceps propugnaret, Sigfridus ipse Rudolphi commitentes ad pugnam strenue capessendam est hortatus, sed & captum in prælio, captivum in furcam, aut vicinam arborem agere jamjam parantes milites superveniens absterruit Henricus, servaturus Sigfridum annos 4. in custodia cum Adelberto Wormatiensi Episcopo, postquam lethali vulnere prostratus cecidit Wernerus Archiepiscopus Magdeburgicus. Tandem anno 1082. libertati restitutus, ut curas effugeret publicas, mortis certa viætima biennium vitæ reliquum in monasterio Hasungensi transegit ab omni culpa, haud quaquam etiam ipse immunis, quam inter publicas Ecclesiæ & Imperij difficultates summas non nisi virtute magni, imò maximi evitare consueverunt. Sederunt Romæ Nicolaus II. Alexander II. Gregorius VII.

XXIII.

### XXIII. WEZILO ELECTOR VII.

**W**EZILO Sigfridi Successor ubi natus, aut educatus, & summis muneribus sese reddiderit idoneum, non meminerunt Historici, contenti memorasse solūm, quod ab exordio dignitatis suae Henrico IV. & Pseudopontifici Clementi verius pertinaciter, quam constanter animum suum devoverit, Gebhardo Salisburgensi Archipræsule & Episcopis ferè universis in Concilio Moguntino refragantibus, & Deum recte factorum remuneratorem scelerumque vindicem testantibus. Torrenti demum cedendum ratus pro Pontifice contra Cæsarem ferre suffragia, & dicere sententias cœpit: unde damnato errore suo Archipræsul & Elector Imperij intentata & inficta ab Henrico vulnera magno tulit animo, ut disceret pati & mori: mortuus namque est, postquam an. 4. potius sedere desideravit, quam sedit sub Gregorio VII. & Victore III.

### SECULUM XII.

#### XXIV. RUTHARDVS. ELECTOR VIII.

**R**uthardus ex Erfurdiæ ad D. Petrum Abbatem electus Moguntiæ Elector, statim in Archiepiscopatus sui exordio refragi pro viribus Henrico IV. constituit, contempto quovis corporis & fluxarum rerum periculo. Atque conceptam animo constantiam non magis verbo, quam opere exhibuit: ab Henrico enim sede Moguntina in Thuringiam exul pulsus, annis ferè 9. in castello Hertesbergensi gravem rerum inopiam pertulit, provenitus interea Moguntinos rapiente Henrico proscripto Cæsare. Tandem an. 1105. Henrici V. contra patrem pro Ecclesia & Imperio pugnantis potestate unâ cum Episcopis aliis restitutus Ruthardus, anno proximo Ingelhemij Henricum genitorem insignibus Imperij exuit, ut filium iisdem indueret, gratulante Germania

E 2

uni-

universa. Pontifice dein Paschale II. Gallias petente, & concilium Trecis celebrante, cùm non comparuisset Ruthardus, ab officio suo ut tantisper abstineret jussus, literas singularis demissionis, prudentiæ & obedientiæ testes ad Pontificem dedit, quibus senectutem & sinistram corporis valetudinem, atque vicinam mortem non suscepit in se itineris testimonia attulit, & veniam facile impetravit, dignissimus divinis prœmiis Antistes, qui contempsit humana. Mortuus est an. 1109. sedis 22. quo tempore federunt Victor III. Urbanus II. & Paschalis II.

## XXV. ADELBERTVS I. ELECTOR IX.

**A**Delbertus I. aliis Albertus, ex virorum Principum prosapia natus, Henrico V. Cæsari à consiliis fuit arcanissimis, & ferè unus maximi æstimatus, cùm urgerent res summi momenti Imperatorem: quare hujus potissimum auxiliis in Moguntiæ sedem enectus, egit & tulit fortiter plurima amicus Cæsaris usq; ad aram: Henricus enim V. cùm parentis exemplo in Ecclesiæ jura aditum sibi negatum animo ferret ægerrimo, & ferro vim jam minitaretur, quin vim jam inferret, Adelbertus constantissimè stetit, pro Pontifice contra Cæsarem. Verùm ob hoc ipsum in furias acto Henrico in custodiam datus, trienio toto ferè ad necem usque est fame maceratus. Qualis quantisque Adelbertus fuerit, ex ci-vium Moguntinorum fide licuit etiam metiri; cùm enim Imperator an. 1112. Moguntiæ aliquamdiu commoratus fuisset, ab ejusdem urbis confertis iisque armatis civibus tanto tempore & constantiâ est obsessus, ut nisi Archiprætulem suis restituisset Cæsar, seditionem publicam experturus quamprimum fuisset. Concliato demum Imperatore cum Romano Pontifice Calixto II. rediit equidem Adelbertus in gratiam Henrici, ut nihilominus procul à Jove minus timenda prævideret & vitaret fulmina, Aschaffenburgum ædificavit futurum sibi iisque asylum; cives verò Moguntiæ

tiæ ob fidem sibi constanter præstitam privilegiis variis donavit, Princeps civium amantissimus, & Pastor ovium vigilantissimus per annos sedis 28. sub Pontificibus Paschale II. Gelasio II. Calisto II. Honorio II. & Innocentio II.

### XXVI. ADELBERTVS II. ELECTOR X.

**A**Delbertus II. Adelberti I. ex fratre nepos, patrui potissimum meritis adscripsit haud immerito sui in Archipræfulem Moguntiæ electionem. Ab Innocentio II. Romam evocatus venit hospes Italij perquam gratus. Conrado III. Cæsari modico tempore contrarius, tantum deinde placuit, ut Adelberti consiliis persuasus Palæstinam cum exercitu petere decreverit; quam expeditionem dum adornare pro viribus cœpit, conatus mors omnes elusit, rapiens annorum 3. Archipræfulem, sedente etiam tum & dolente mortem Adelberti Innocentio II. Pont.

### XXVIII. MARCOLPHVS ELECTOR XI.

**M**arcolphus Aschaffenburgenſis Ecclesiæ Præpositus meritis suis id consecutus est, ut in Moguntiæ solium evocatus tutò sedere potuisset, nisi mors quamprimum fecisset periculum, quæ nimirum citius præcipitavit in tumulum Marcolphum, quām Romā missum impetravit pallium, vix unius anni Elector an. 1142. sub Innocentio II. jam mortuus.

### XXVIII. HENRICVS I. ELECTOR XII.

**H**enricus I. ex Præposito, uti persæpe vocant, majoris Ecclesiæ Moguntinæ propter insignem virtutem magis, quām natales haud illustres, in Electorem delectus, displicuit multis ob rem, ob quam merito placere potuisset: vitia nimirum dum in fœse & subditis præsertim Canonicis detestatus est ardentius, sceleris ipse per summum nefas insimulatus, & à du-

E 3

bus

bus S. R. E. Purpuratis Patribus perperam rem edoctis, ad ipsum supremum in terris judicem est delatus: cuius proin imperio tantisper sedem relinquere jussus, secessit in Saxoniam, ubi post aliquot menses distributis in pauperes opibus suis reliquis pauperem Christum est imitatus. Tempore vitae ultimo auditus est dicere non raro: *Dives sui Canonicus, pauper Praepositus, mendicus Episcopus.* D. Abbas Bernardus, cuius consilia persæpe rogare solebat, Henrici abundè perspectam habebat Innocentiam: unde epistolis suis id impetrâisset facile, ut restitueretur sedi suæ, nisi viam omnem & aditum literis mors intercepisset post annum Electoratus 11. an. Christi 1153. Sederunt eodem tempore Lucius II. & Eugenius III.

## XXIX. ARNOLDVS ELECTOR XIII.

**A**RNOLDUM Electorem authorum alij natione Moguntinum sanguine haud quaquam illustrem, alij Rhenanum nobilem ex nobili Selenhofiensium familia natum scripserunt. Nemini verò dubium fuit, quin præstantis corporis, præstantiorisque animi fuerit Decanus Aquisgrani, & ad D. Petrum Moguntiæ Præses. A consiliis etiam maximè secretis Friderico Cæsari fuisse non dubitant. Henrico Archipræsuli suo consiliis & auxiliis adstitisse ex eo metimur, quod ejusdem restituendi causâ Romam contenderit. Interea verò temporis, dum Romæ agebat alienæ intentus causæ, suam promovit maximè; Henricus enim innocentia suæ immortuus, sedem reliquit viduam illi, qui Henrico invidebat minimè, nimirum Arnoldo; quo sedente bellum adversùs Insubres gerebat Fridericus statutis jam antea poenis in transgressores gravibus, si fortè armis absente Cæsare fœse Imperij Proceres laceſſerent. Haud verò Cæsar's minis absterritus Hermannus Comes Palatinus cum sociis, Arnoldi ditiones depopulari non destitit. Vim vi repellere, aut plūs justo inferre haud cessabat etiam Arnoldus. Quare in Germaniam redux Fridericus pñnam, uti dixerunt,

xerunt, *caninam* jussit subire Hermannum cum sociis nobilibus, quorum nomina *Dodechinus & Radervicus* attulerunt. Parcitur est equidem Arnoldo, quò minus & ipsi stadiis pluribus portandus supra humeros fuerit canis, quemadmodum portarunt iisdem testibus Comites decem; justa nihilominus reprehensio, & fortè æris multa non defuit. Seditione deinde orta civium ob imposta nova tributa & privilegia eorundem diminuta, ab iisdem suis civibus occisus, vestibus exutus, & in finem fuit abjectus. D. Hildegardis Deo sacrata virgo Antistitem de fatis suis præmonuisse his verbis fertur: *Cave charissime Pater; canes enim jam dimissi sunt, qui te persequuntur.* Ignominiosissimum hoc facinus poenis severissimis ultus est Fridericus; seditionis enim authoribus post tormenta prævia abscissa sunt capita, Moguntiæ moenia diruta, privilegia extincta, & urbis pars magna solo est æquata. An. 1160. sacrilegis succubuit manibus, postquam annis 7. potius pugnavit, quam tedit sub Pont. Anastasio IV. Hadriano IV. & Alexandro III.

### XXX. CONRADVS I. ELECTOR XIV.

**V**etus habet parœmia: ignis probat aurum, adversitas vi-  
rum, Conradus I. Comes Wittelspachius contra æmu-  
los Rudolphum Zeringensem Ducem, & Christianum Co-  
mitem Thuringum denique confirmatus Archipræsul, quanti virtu-  
tem ficeret, inter sacram & saxum medius demonstravit: suas enim  
in partes dum pertrahere conatus est Fridericus Cæsar, Conradi æsti-  
mator & promotor, nihilominus Conradus aurum igne, & virtu-  
tem ferro probandam esse ratus, sprevit intrusum à Cæsare Pseudo-  
pontificem, ut jus suum non negaret Alejandro III. Romano Pon-  
tifici. Quare biennio vix bene elapsò sede sua pulsus advenit exul in  
Italiā, ubi Sabinensis Antistes à Pontifice creatus, annis 16. Italos  
virtutum radiis adeò illustravit, ut ægrè Germanis suum Electorem  
restituerint, Germani verò ardenter repetierint: año namque 1180.

à Mo-

á Moguntinis inter publicos plausus in sedem suam reductus ad annum 1200. mirè profuit Ecclesiæ & Imperio, nimirum & à Pontifice & à Cæsare consiliis atque negotiis publicis crebrò adhibitus, legationes suscepit in Asiam ad Leonem Armeniæ Regem, & in Hungariam ad Emericum simûlque Andream regios fratres desceptro & corona dimicantes. His verò amicitiæ & fraternæ concordiæ vinculo denuo conjunctis, dum rediit in Germaniam, Passavij lethali morbo succubuit, eodem nimirum anno 1200. postquam ab exordio sui Electoratūs, aut verius à morte Arnoldi an. 4. inde verò pulsus & restitutus annis 20. fedit unā cum Pontificibus Alexandro III. Lucio III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. & Cœlestino III. *Vide de hoc & omnibus aliis seculorum horum electoribus Kranzium, Trithemium, Serarium, & authores ab horum ultimq; citt.*

## S E C U L U M XIII.

### XXXI. CHRISTIANVS. I LECTOR XV.

**P**ulso è sede sua Conrado Christianus I. in ejusdem locum imperante Friderico Cæsare intrusus annis 16. Moguntiæ præfuit, & profuit, gratiâ Imperatoris valens plurimùm, imò donis & dotibus suis propriis, quibus ars & natura ritè Electorem instruxerunt; quinque enim aut sex linguarum peritiâ imbūtus, & in aula Cæsaris corpore animoque magnus, dixit & scripsit multa in legationibus publicis, mirantibus Electoris Christiani eloquentiam & amplissimam rerum notitiam Germanis, Latinis, Græcis, Italís, Gallis, Belgis &c. Duo rerum capita censoriâ virgulâ perstringere non sunt veriti authores in hoc Archipræstule, nimirum quòd relicto Alexandro Pontifice, & fugato Conrado Moguntino Electore res multas aggressus fuerit longè audaciùs: quam prudentiùs! qnòd item imperij res pluris æstimaverit, quam Ecclesiæ, haud veritus in Italiam copias Cæsareas ducere, & Ducis

instar

instar dimicare. Mortem igitur verius inter milites in Italia, quam inter Sacerdotes in Germania oppetiit an. 1280. postquam an. 13 potius inter Cœsaris negotia, quam sacra pascua consumpsit, invitatis maximè Pontificibus Alexandro III. & Successoribus.

### XXXII. SIGFRIDVS II. ELECTOR XVI.

**S**igfridum II. ex Eppensteiniorum perillustri familia prognatum, pars altera Canonicorum Bingæ elegit, pars altera Lupoldum Wormatiensem Episcopum postulavit, & Philippus Cœsar exoptavit Moguntiæ Archipræfulem: unde nata discordia & bella; Sigfridum namqne Innocentius III. Pontifex, Lupoldum verò Philippus Imperator propugnavit in pugnis, quin in velitationibus socium ferè perpetuum. Percusso demum año 1208. Philippo, Otto Imperator Lupoldum procul aris & focis Moguntinis removit exulem, ut rem gratam præstaret Pontifici. Profuit exulâsse Lupoldo: post edita enim poenitentiæ signa, & exauthoratum Ottonem Cœsarem, Wormatiensi Ecclesiæ est restitutus, forte ut poenitentiam probè cœptam prosequeretur, horâ mortis exoptatissimam, quam jam anno 1212. obiit. Annis 13. superavit Lupoldum Sigfridus, qui Moguntinis præcipue gratissimus, multa & magna gessit, sua authoritate haud mediocri, & Pontificis suprema potestate suffultus. Dolendum sanè, quod Authores seculi XIII. multorum gesta summatim celebrent, nullum tamen facinus, laudandum etiam posteris, descripserint. Talis nimis mos erat istius & aliorum seculorum: pugnare gladio plus justo in deliciis erat; certare calamo curas fuit inter postremas. Annus vitæ ultimus Sigfridi inter años Christi numerabatur 1225. Pontifices imperârunt Innocentius III. & Honorius III.

F

SIG

## XXXIII. SIGFRIDVS ELECTOR XVII.

**S**igfridus III. Sigfridi II. ex fratre nepos difficillima tulit tempora, Friderico II. Imperatore Ecclesiam simul & Imperium turmis & turbis implente. Electoratus sui initio adeo celebrem instituit Moguntiae Synodum, ut eandem multi *Synodum Germanicam* per Antonomasiam appellarent. Multa in eadem sunt acta, & arbitris multis transacta in emolumentum Ecclesiae simul & Republicae Politicae. Erat nimurum Sigfridus Imperatoris Friderici primò in bellis socius, sed eodem Imperatore Romano Pontifici obedientiam negante, & transversum omnia demum agente adversarius, promulgavit anathematis sententiam per Germaniam, multorum ab hoc odiis expositus, & Germanorum similique Italicorum tumultibus implicitus, quibus tamen omnibus insuper habitis, Henricum Thuringiae Ducem unà cum Electoribus reliquis elegit Cæsarem. Aequalem dein honorem exhibuerunt Wilhelmo Hollandiae Duci, Henrico mortuo subrogantes Successorem. D. Elisabetham Thuringiae Principem honori publico amplius commendaturus, ejusdem reliquias altiorem ædis sacræ in locum Marpurgi extulit, miraculis non paucis Dei annutum attestantibus, quibus permotus Gregorius IX. Rom. Pont. eandem Beatorum numero adscripsit. Annis 24. Ecclesia & Imperio prodeesse, & Elector & Archipræsul studuit, multis factis, multis votis & lacrymis multis; quare honorificis statuis post mortem est honoratus & exornatus, quæ solent esse inter Romanos & Germanos vitæ & mortis ritè peractæ viva testimonia. Privilegium à Bohemiæ Regibus impetrâsse scribitur, quo inter Bohemos coronæ regiæ impositio non nisi Moguntinis Archiepiscopis fuit asserta in annos perpetuos, cui tamen privilegio sua sponte nuntium remisisse Successores vel verè creduntur, vel finguntur. Sedit annis 24. vitâ fuitus 1249. Romæ imperârunt Gregorius IX. Cælestinus IV. Innocentius IV.

XXXIV.

## XXXIV. CHRISTIANVS II. ELECTOR XVIII.

**C**um bellantibus bellandum est, aut succumbendum. Ita clamârunt, qui hoc seculo in Germania pugnârunt, in partes varias divisi Principes Imperij. Christianus II. in Ecclesia Moguntina à teneris annis enutritus, & post varias suffragiorum vicissitudines Archiepiscopus electus, non nisi annis 3. pedum Moguntinum conservavit: cùm enim copias Wilhelmo Imperatori mittere vel tardaret, vel penitùs recusaret armorum & omnis strepitùs pertæsus Elector, ipsius unâque multorum Virorum Principum incurrit odium tantum, ut multis criminibus denigratum, & tanquam arduis muneribus minùs habilem etiam Hugo Pontificius Legatus ab officio suo & dignitate removendum judicaverit an. 1251. cùm Romanus Pontifex esset Innocentius IV. Cæterùm credunt Moguntini, Christianum hunc fuisse illum Authorem, qui rei Historicæ apprimè peritus, elucubravit depositionem Henrici IV. Imperatoris; item gesta Arnoldi Episcopi Moguntini, aliorūmque Antecessorum suorum.

## XXXV. GERARDVS I. ELECTOR XIX.

**G**erardus I. Comes, passim Waldgravius appellatus, & sicut ritè scripsit Bruschius, inter D. Francisci filios virtutibus & literis instructus, tametsi annis fortassis & meritis non admodum valeret, tamen mirabili fato in sublimem Moguntiæ Sedem evectus, gratissimum sese exhibuit Ebredunensi Archiepiscopo, obscuris artibus Gerardum promoventi, & Christianum II. removenti. An. 1256. Friderico Comiti de Eberstein adversus Albertum M. Brunsuicensium Ducem suum & Dominum pugnanti suppetias allaturus, in prælio captus, & annua captivitate detentus cum Phrygibus sapuit, haud facilè restituendus, nisi Richardus Anglorum Rex, cuius partes sequi decreverat, gravissimâ auri

F 2

sum-

summâ redemisset. Fridericus etiam inter captivos ductus, in præaltam furcam est actus, nova tormenti methodo: alligatis namque supremæ trabi pedibus, corpore inverso peperdit longo tempore, ut spectatores & sceleris consciæ multi discerent Principi suo promissam fidem servare. Annis 9. tempore interregni Gerardus fuit Elector, mortuus an. 1260. Vixit sub Innocentio IV. & Alexandro IV.

### XXXVI. WERNERVS ELECTOR XX.

**W**ernerus ex illustrissima Comitum Falckensteiniorum familia natus, post electionem sui Canonicam Romam petiit, coram rogaturus Pontificem Alexandrum IV. Archiepiscopale pallium. In itinere per Helvetiæ montes & valles viæ socium nactus est Comitem Rudolphum Habsburgicum, cuius jam tum virtutes multas maximi fecit, & solio Imperij dignas judicavit, prudentissimus & arbiter & augur: elapsis namque eo ex tempore anni 12. cùm Supremi in Romano Imperio convenere, Principes Cæsarem electuri, Wernerus suo calculo Rudolphum nominavit perpotenti exemplo ad imitationem sui trahens Eletores alios, præsertim verò Ludovicum Severum, cuius authoritas tum temporis plurimum eminuit. Post publicas Ecclesiæ Romanæ & Imperij curas, curam Archiepiscopatus sui in se suscepit singularem, dum an. 1261. provincialem Synodum Moguntiæ celebravit, periculis temporibus succurrendum, & præveniendum ratus. Ditionibus Electoralibus inhiantes Comitem Sponhemensem Joannem, & Philippum Hohenfelsium armis partim sacrис, partim profanis profligavit, prioris nimirum copias superando, posterioris verò sacrís interdicendo. Sententiam æquissimam, licet severam, tulit in Hebræos quoque, qua sublatis scelerum authoribus aditum in urbem Moguntiam eis deinceps constanter negandum esse statuit, triplicem maximè ob causam & cul-

pam

pam, quarum primam comiserunt abutendo per sumum nefas dape Evcharistica clam ablata: alteram fundendo Christianorum parvolorum sanguinem, & præstigiis adhibendo: tertiam denique puteos inficiendo. An. Salutis 1284. multorum lacrymâs parentatum est, postquam 24. annis Moguntiam Archipræfut illustravit sub novem Pontificibns Romanis, nimirum Alexandro IV. Urbano IV. Clemente IV. Gregorio X. Innocentio V. Hadriano V. Joanne XIX. Nicolao III. & Martino II. Sepulto Wernerio Canonicorum partes geminæ paribus suffragiis in Electorem suum delegerunt Gerardum Comitem Eppensteinum Trevirensim Archidiaconum, & Petrum Reichensteinum Basileensem Canonicum, majoris Ecclesiæ inter Moguntinos Præpositum, quondam Rudolphi Habsburgici Medicum. Annis tribus discordia pertinax Sedem reliquit viduam: denique inter duos litigantes gaudere tertium jussit Honorius IV. Pontifex, ea tamen moderatione, ut Petrum Reichensteinum Basileensibus Episcopum dederit, Gerhardo autem spem promotionis fecerit maximam. Cæterum inter duos litigantes ille tertius fuit

### XXXVII. HENRICVS II. ELECTOR XXI.

**H**enricus II. inter Episcopos Basileenses hujus nominis IV. Isenæ in Suevia ex parentibus tenuis fortunæ natus: præclaris tamen animi dotibus & virtutibus viam ad lauros & mitras sternere sibi didicit: inter Monachos enim D. Francisci cooptatus, Doctoris Theologiæ insignia capeffivit, discipulorum haud paucorum Magister, & paulò post Lucernæ Basileæque Guardianus, ut vocant, ubi simul Rudolpho Comiti, & mox Imperatori à sacris confessionibus, consiliis & legationibus fuit. An. 1274. inter dissidentes Canonicos, nemine tamen dissidente lectus Episcopus, munus suum obivit magno totius Diœcesis emolumento. An. 1285. Legatum mittere Romam constituit ad Hono-

rium IV. Pontificem Imperator Rudolphus. Comittitur Henrico legationis munus & gravissimarum juxta tractandarum cum Pontifice rerum. Hujus porro legationis optatissimus Pontifici fuit successus, quando Rudolphus sacræ Sedi confirmavit Bononiam, Romaniolam, & simul Exarchatu Ravennate cessit. Officio legati præclarè functus Henricus, Pontificis summam erga se gratiam ita promeritus est, ut pinguem bene navatae operæ remunerationem exspectare posset; & bene expectâsse eventus probavit: creatus enim ob id maximè Elector Moguntinus, tribus annis placuit multis, & multis displicuit; hos inter Canonici ægro animo sustinuerunt Electorem & Archipræsulem obscuro loco natum, & invitis obtrusum. Annus vitæ ultimus erat Henrico 1188. Ferè cum Honorio IV. in Sedem promotus & morte remotus.

### XXXVIII. GERARDVS II. ELECTOR XXII.

**G**erardus II. Comes Eppensteininus jam non unius tantum partis, sed ferè omnium calculis electus Archipræsul, auditâ sui electione ac promulgatione latus, contendit Romanam quamprimum, ubi à Nicolao IV. Pontifice Archiepiscopus consecratus, & pallio est exornatus. In Germaniam redux Hanovia Comitem procaciùs multa dicentem & facientem coercuit, simûlque Fuldenses subditos contra Principem suum seditiosos in ordinem rededit. Anno 1291. Rudolphi Cæsari justis persolutis Adolphum Nassovium bellica laude dotib[us]que aliis multis insignem Ducem ad Imperatoriam dignitatem pene solus evexit, eundémque ad Imperij coronam suscipiendam Aquisgranum deduxit. At qui tantopere placuit Imperator, paulò post maximo pere Gerardo displicuit: Adolphum enim fortunam suam non capientem, & in scelera effusum denique, idem qui creandi, fuit etiam author exauthorandi Cæsar, vocato in Imperij thronum Al-

berto.

berto Habsburgico Rudolphi filio, cuius virtutem magni aestimare, sed & potentiam tandem timere didicit, jam non imperare, sed obedire Imperatori doctus, præsertim ubi Bingio à Cæfareanis occupato circumfusas Moguntiæ copias aspexit. An. 1292. Aschaffenburgi Synodum celebravit, cui aderant Episcopi Bambergensis, Heribolensis, Augustanus, Eustadianus, Hildesiensis, Wormatiensis, Spirensis aliquæ: ejusdem Synodi acta in compendium conscripta legerunt & laudarunt plurimi. An. 1298. Pragæ Wenceslao Regi & hujus regiæ conjugi Jutæ imposuit coronam: Infulam verò suam amisit morte erectam an. 1304. annorum 16. Præful. Sub Pontificibus Nicolao IV. Cœlestino V. Bonifacio VIII.

## S E C U L U M X I V.

### XXXIX. PETRVS ELECTOR XXIII.

**P**etrus in Archiepiscopatu Trevirensi ex pauperibus natus parentibus, in juventute medicinæ, & una scientiis pluribus strenuam navavit operam, Theologiae etiam non parùm peritus. Henrico Lücelburgico futuro Cæsari exoptatus Medicus, in rebus cunctis suam plurimùm commendavit industriam, arcanorum ferè omnium in aula arbiter. Igitur Henricus ut Balduinum fratrem suum 18. annorum juvenem in Moguntiæ Sedem Archiepiscopalem promoveret, misit Petrum Legatum ad Clementem V. Pontificem in Gallia tum commorantem. Praeter alia in Balduino displicuit Clementi jnvenilis ætas. Re itaque infecta dum Medicus simûlque Legatus fese accingit ad redditum, subito Pontifex morbo corripitur; quem cum Petrus porrectis pharmacis tridui spatio dispulisset, in grati animi testimonium à Clemente nominatus & confirmatus est Moguntinus Archiepiscopus his dictis: *Cum noveris tam peritè curare corpora, noveris etiam deinceps curare animas.* Idem hic Petrus vel author, vel adjutor fuit maximus,

cur.

cur Balduinus an. 1307. Trevirensis Elector, & Henricus Lüzelburgicus an. 1308. Imperator, atque alter ejusdem filius Joannes an. 1311. Bohemorum Rex fuerit electus. Mortem Henrici Imperatoris adeò doluit, ut dicere auditus fuerit, intra quinque secula mortuum non fuisse vel Imperatorem, vel Regem, cuius mors ansa fuisset tot malorum, quot erat mors Henrici. Vera dixisse Petrum, rei eventus monstravit: cùm enim in electione Imperatoria Ludovico Bavarо faveret Petrus unà cum aliis, Electores verò diversi Fridericum Austriacum Ludovico præferrent, innumeris in Imperio malis datum est initium. Nunquam tamen cessavit Petrus strenuè suo fungi munere: omnium enim subditarum animarum curam habuit sedulam, & inter primas suæ: cùm per integras ferè noctes ad geniculatus aris domesticis Deo loqueretur, & Evcharistiae dape, si ad aram facere per vires non licuit, saltem alternis diebus refici desideraret, ad iter æternitatis nunquam non bene paratus, quod adiit inter communes luctus an. 1320. Annorum 15. Elector sub Pontificibus Clemente V. Joanne XX.

#### XL. MATHIAS ELECTOR XXIV.

**M**athias Comes Burgundus in Principi Monasterio Murbacensi Ord. S. Benedicti solidis omnino virtutibus adversus quasvis dæmonis & pravorum hominum insidias præmunitus, & hac de causa Joanni XX. Pontifici non ignotus, potentissimis æmulis ab eodem est antehabitus. Inter æmulos Princeps Balduinus Trevirensium Archipræstul, perspectis Mathiæ dotibus eximiis, eidem in rebus adversis adjutor esse cœpit damnato errore suo: unde hujus & aliorum potentissimo adjutorio fretus Hassia Landgraviū, uti vocamus, rapinis & incendiis grassantem subjugavit; Wirtenbergensem etiam ejus temporis Comitem Marchioni Bædensi perinfestum compressit: ad hæc Bingenses,

Er-

Erfordenses & Nordhusianos sacratis Deo ædibus & monasteriis permolestos coercuit. Tot hostibus minimè superatum insidiis suis vincere *teste VVione* non desperârunt malè morati Medici, qui cum morbis conflictanti tanto Præsuli non veriti sunt Venereos amores suadere, subornatâ jam eum in finem sacrilegum impudicâ fœminâ, quam tamen sibi præsentissimus & constantissimus Antistes continuò rejecit cum pejoribus Medicis. Eadem tempestate inter Ludovicum Bavaram, & Fridericum Austriacum summopere servebant Martis classica. Gravissimis itaque difficultatibus occurrentum ratus Moguntinus Elector, Concilium an. 1327. convocavit. *Imminentibus dein*, uti ait *Trithemius*, in dies magis periculis & turbis est ereptus Vir omni honore perpetuâque memoriâ dignus an. 1328. Sedis 8. aut 9. sub Joanne XX.

#### XLI. HENRICVS III. ELECTOR. XXV.

**H**enricus III. Comes de Virneburg à Joanne XX. Pontifice invitis Canonicis Archipræsul oblatus, aut verius obtrusus, per annos tres continuos est repulsus, multis, ut edoceretur ritè Sedes Romana, rogantibus & clamantibus. Tempore cedendum ratus Joannes Pont. Balduinum Trevirorum Archipræsulem, à Moguntiæ Clericis licet invitum in suum Electorem quoque electum, Henrico dedit Adjutorem, qui utriusque Ecclesiæ solerter curam gessit, procul pulsis hostibus externis & domesticis. Finito inter lites triennio, Henricus Elector confirmatus, Moguntiæ introductus, paratum expeditumque ad rerum omnium cessionem expertus & miratus est Balduinum. Malè cessisse docuit Henrici in malo pertinacia: Pontificum enim & Clericorum hostibus adstitit, contemptis minis & quibusve pœnis Ecclesiasticis. Quare ejus in locum suffectus Comes Nossoviæ, octo annis continuis infensissimum sibi hostem pertulit Henricum, Ecclesiæ Moguntiæ summo detimento. E Sede Moguntiæ

G

tiæ

tiæ rejectus est Henricus post annum 14. Christi 1346. Sede-  
runt eodem tempore Joan. XX. dictus XXII. & Benedictus XI.

### XLI. GERLACHVS ELECTOR. XXVI.

**G**erlachus is ipse Comes Nassoviæ post annorum octo cur-  
riculum tandem quieta Sede potitus, Caroloque IV. Im-  
peratori peracceptus, Bullam Auream Romanî Imperij  
Regulam unâ cum Electoribus & Viris Principibus reliquis con-  
scriptam probavit. Mox verò ad reformationem morum, præ-  
fertim verò Ecclesiasticorum virorum conversus, hortante Caro-  
lo Imperatore, Pontificij Juris Regulas gnaviter observavit. Hoc  
sedente Archipræsule Pragæ omnium primus creatus Archiepi-  
scopus copiam impetravit coronandi deinceps Bohemorū Reges:  
at ne injuriam irrogari sibi conquererentur Moguntini Antistites,  
quibus coronandi Reges Bohemos privilegium hactenus concè-  
sum favebat, hanc ob causam Hœchstium urbem eorundem ditio-  
nibus adjecit Imperator. Annis 18. post sepultum Henricum flo-  
ruit ad annum Christi usque 1371. sub Pontificibus Clemente VI.  
Innocentio VI. & Urbano V. Gerlachus, de quo tamen pauca  
meminere Historici rerum compendiis contenti.

### XLI. IOANNES I. ELECTOR XXVII.

**J**oannes I. Dux Lüzelburgicus, Caroli IV. Imperatoris preci-  
bus à Gregorio XI. auditis, confirmatus est Moguntiæ Elec-  
tor, Cunone Falckensteinio Trevirensium Archiepiscopo  
alteram dignitatem non optante, & Comite Nassovio Adolfo  
non consequente. Annis 2. solùm Pastorale Moguntiæ Pedum te-  
nuit, quo tamen tenente an. 1372. frequentissimus Ecclesiastico-  
rum juxtáque Politicorum Principum conventus, ipso etiam præ-  
sente Imperatore, Comitia celebravit, ut Pontifici Ecclesiasticorum  
redituum decimas poscenti responderet Imperium. Mox dein vivis  
ereptum

ereptum Joannem desideriis multis desiderârunt multi paucorum verborum synopsi encomia Archipræfulis sui comprehensuri, dum dixerunt: *amissimus Episcopum, ovem, & agnum.* Quæ verba in deteriorem partem interpretatus *Vimphelingius* ait, fuisse pingue & bonum, officij verò minùs, quam conviviorum æstimatorem. *Vide Guilmansum de Episcopis Argentoratensis.*

#### XLIV. ADOLPHVS I. ELECTOR. XXVIII.

**A**DOLPHUS I. Gerlachi patrui nepos, in Archipræfulem Moguntinum cooptatus, annis compluribus Ludovicum Misniæ Marchionem Bambergæ Episcopum expertus est hostem, Carolo Imperatore Ludovici partibus favente, & suam in sententiam Pontificem Gregorium XI. pertrahente. Arbitrio tandem mortis, quæ crebro nemine hominum opinante, lites dirimit gravissimas, causâ cecidit Ludovicus, post lautas epulas subito cor- reptus morbo & obrutus morte, uti narrat *Kranzus* aliisque. Annis dein reliquis fracto Hassiæ Landgravio Hartmanno repetitis victoriis, pacis fructibus frui licuit Adolpho, cuius tempora Superi raro miraculo illustrârunt, blasphemam lusoris linguam & manum Moguntiæ ulti. *Vide Serarium*, qui ligata & soluta oratione manantem è sacris imaginibus sanguinem, & multa alia copiosè descripsit. Sedit Adolphus an. 16. mortuus est an. 1388. Floruerunt eodem tempore Gregorius XI. & Urbanus VI.

#### XLV. CONRADVS II. ELECTOR XXIX.

**C**ONRADUS II. Comes Weinspergius Adolpho in Sede Moguntina subrogatus, pacem desideravit, haud impetravit: anno enim Conradi primo Moguntia, Spira, Wormatia & Francofurtum icto foedere contra Rupertum Ducem Palatinum invito Archipræfule in aciem egressæ, malèque multatæ pedem retulerunt saucium: multis namque trucidatis è captivorum

rum numero, sexaginta partim viros, partim juvenes in ardentem fornacem præcipitari mandavit Rupertus, quod concubia nocte oppidis & villis flamas subdidissent. Eadem fermè ætate deprehensa Waldensium hæresis, multis Moguntiæ saluti, authoribus verò suis exitio fuit: sex enim & triginta viros ea ex lue plurimum jam infectos infamis sustulit Bingii ignis, ne ossa quidem superessent hæresis testes, aut fortè zizaniorum novorum semina. Hæc de Moguntia potius, quam Moguntino Electore Conrado scripsere Tritheimius & Serarius, quem tranquillum & pacificum fuisse contenti sunt dixisse; qualis scribendi methodus multis in locis nobis ut sufficiat, necesse est. Annis 7. Moguntiam rexit, mortuus 1395. sub Bonifacio IX.

#### XLVI IOANNES II. ELECTOR. XXX.

**N**on semper lentè festinandum esse, exemplo suo docuit Joannes II. Comes Nassoviæ Conradi II. Archipræfulus Moguntini frater, qui ut Pedum Archiepiscopale Godefrido Comiti Leiningensi æmolorum maximo præriperet, properè Romanam contendit, pedibus velocior, non meritis felicior. Corpore parvum, ingenio magnum dixerunt Joannem, qui proprius observarunt. Anno Domini 1398. Heripoli Erfordiam transtulit Academiam, quod Musæ pacis filiæ, aut minimum amicæ inter seditiones cives vix sperarent locum sibi reliquum. In Imperij damnum maximum aut ruinam penitus natus factus videri poterat Imperator Wenceslaus Caroli IV. filius, in omne vitiorum genus effusissimus, cum interea Hussitarum hæresis omni pestilentia gravior per Germaniam universam grasseretur. Quare inter authores eligendi novi Cæsar is Joannes ferè author maximus, unà cum Electoribus aliis deposito Wenceslao, Fridericum Brunsvicensem elegit, post paucos dies è medio sublatum ex insidiis à Waldeckiano Comite structis, quarum authorem, ut fieri amat, multi dixe.

dixerunt Joanem Moguntæ Electorem, inter communia mala zoilis passim obviis sententiam malignam dicentibus. In verticem Friderici vocatus Jodocus Moraviæ Marchio, multorum annorum senex, & hoc brevi mortuo Rupertus inter Palatinos Electores Ruperti II. filius, post annos Imperii 10. bellum movit Joanni Electori, cui soli maximè mors profuit, dum Cæsarem Imperii columnam stravit. Inde omnium Electorum suffragiis electus Imperator Sigismundus in Germaniam venit, cujus præsidio fretus Elector Moguntinus Hermannum Hassiæ Landgravium oppugnavit. Concilio post breve tempus Constantiæ indicto, cùm Joannis XXI. diciti XXIII. Pontificis partes Joannes Elector sibi propugnandas existimaret, ex datis à Concilio epistolis intellexit, satiūs esse communi Patrum sententiæ aquiescere, turbas in Germania tollere, & hæresi Hussianæ pro viribus occurrere, quæ omnia strenue peregit, usquedum egit animam an. 1419. Sedis 22. sub Pontificibus Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alessandro V. Joanne XXI. & Martino V.

## SECULUM XV.

### XLVII. CONRADVS III. ELECTOR. XXXI.

**C**onradus III. Comes Rhenanus vestigiis Joannis mortui insistens, continuò dedit literas ad Episcopos & Abbates sibi subditos, ut seriò incumberent ad emendandos Clericorum juxtaque Monachorum mores. Operam ea ex parte strenuam navavit Conrado Cardinalis Placentinus à Martino V. Pontifice Germaniæ magnam partem lustrare & emendare jussus. Annis deinceps decem continuis ferè pugnante adversus seditiones Bohemos Rege & Imperatore Sigismundo, vicariam Imperio adhuc manum, multorum Principum ob id expositus odiis, tanta munera, magna onera esse neclentibus. Cæterum Archipræsu-

G 3

lem

lem hunc præstantissimum fuisse corpore , hujus tamen illecebris  
nempe conviviis aliquantò indulgentius , quam par erat, obsec-  
tum esse, ferunt. Annos Elector numeravit 15. sub Martino V.  
& Eugenio IV. an. 1434., extinctus.

### XLVIII. THEODORICVS. ELECTOR XXXII.

**T**Heodoricus ex nobilissimo Erbachensium sanguine ortus,  
publicos tumultus inter statum Ecclesiasticum & civilem  
Moguntiae enatos, non nisi Concilii Basileensis authori-  
tate sedare valuit. Bellum hoc domesticum excepit alterum ex-  
ternum, adversus Ludovicum Electorem Palatinum comuni mul-  
torum suffragio susceptum, ubi auxiliares copias Theodorico mi-  
serunt Marchiones Badensis & Brandenburgicus. Data tandem &  
impetrata pace Synodus indixit Cleri mores emendaturus, cui  
opem suâ præsentia tulit Cardinalis Legatus Pontificius. Ut verò  
universis ipse exemplo præluceret, aulam suam virtutibus exor-  
nare non cessavit, quam passim paradisum dixerunt propinquoi  
terum arbitri. An. 1459. Sedis 25. mortem oppetiit Aschaffen-  
burgi, quod ædificiis exornavit. Pontifices eo tempore fuerunt  
Eugenius IV. Nicolaus V. Calixtus III.

### XLIX. THEODORICVS ELECTOR XXXIII.

ET

### L. ADOLPHVS II. ELECTOR XXXIV.

**T**Heodoricus Comes Isenburgicus, aliis Budingen sis dictus,  
licet à Canonicis ritè electus, à Pio II. tamen Pontifice  
haud confirmatus, quin an. 1461. ob causas graves à Se-  
de Moguntina remotus, omnem movit lapidem, ut invitâ etiam  
Curiâ Romanâ Elector deinceps honoraretur: unde Adolphus  
Comes Nassovius Wisbadensis in Sedem Theodorici vocatus, non  
niā

nisi gladio aditum invenit ad Electorale Solium. Dolore & damno suo irreparabili vidi Moguntia in Adolphi & Theodorici partes abire Viros illustrissimos in Imperio quam plurimos, quibus ut satisficeret pro belli sumptibus, oppignerarunt ditiones ferme omnes Moguntinas Adolphus & Theodoricus. Inter Adolphi partes eminuerunt Imperator Fridericus, Marchio Badensis, & Comes ejus temporis Wirtenbergicus: inter partes vero Theodorici Duces Palatinus, & demum etiam Bavarus. Propè Seckenhemium an. 1462. commissa fuit pugna decretoria, in qua Friderici Palatini operâ adjutus Theodoricus victor triumphavit, in captivitatem Palatinam abstractis Viris Principibus non paucis. At eodem anno Adolphus consensis Moguntiae clam mœnibus, & fugato Theodoro victoriâ potitus, urbem, ad illud usque tempus inter Imperii liberas urbes numeratam, suis privilegiis privavit, tum demum in Sedem suam promotus. Anno namque altero adhibitis arbitris Iis finita, Adolphus Archipræsul denuo promulgatus, Theodoricus vero quatuor oppida cum vectigalium jure in annos vitæ reliquos impetravit. Captæ, & privilegiis suis orbatæ Moguntiae relictum est testimonii loco Chronologon:

**ECCE LVIT fato Moguntia Capta seCRETO.**

Anno nimirum 1462. Moguntia fata sustinuit tristissima: anno autem 1475. mortuo Adolpho Canonicorum communibus calculis denuo selectus Theodoricus eam maximè ob causam fuit, ut Moguntinæ Ecclesiæ ablata restitueret, quod multis suis encumiis magna ex parte præstítit; quin urbem suam principem arce à S. Martino nomen habente, & Academiâ recens extructâ, exornavit. Simul ad emendationem morum & scelerum extirpationem intentus, diversa Clericorum & Monachorum scandalâ sustulit, & Jonnem de Wasalia hætericum condemnavit, Virorum Doctorum, sed non nisi Orthodoxorum insignis æstimator. An.

1482.

1482. Sedis 7. Alchaffenburgi dissenteriae morbo est extictus;  
cum interea federent Pontifices Pius II. Paulus II. & Sixtus IV.

### L. ALBERTVS I. ELECTOR XXXV.

**A**lbertus Ernesti Saxonie ac Misniæ Ducis filius Canonicus Moguntinus, annorum 17. juvenis à Theodorico annuentes Canonicorum plurium parte in Adjutorem cooptatus, à Sixto IV. Pontifice confirmatus, spem maximam de se conceptam brevi elusit anno Sedis altero, ætatis 19. mense Mayo inter crescentes, sed simul etiam emarcescentes flores, flos & ipse mortis falce demessus codem anno 1404. quo Sixtus IV. ad plures abiit.

### LII. BERTHOLDVS ELECTOR XXXVI.

**B**ertholdus Comes Hennebergicus Romheldensis à corporis præstantia, prudentia, doctrina & virtutibus plurimùm laudatus Ecclesiæ Moguntinæ Decanus, omnium Electorum vocibus in primam Germanicæ Ecclesiæ Sedem est vocatus 20. mensis Maij, inter publicos populi amores & timores. Fuit hic subditorum amor simul & timor prudentissimo Principi ansa, cur deinceps mansuetudinis nunquam non memor, pacem publicam & privatam conservare laborârit, meritò *Procurator Pacis* appellatus. Maximilianum I. Francofurti unà cum Electoribus reliquis in Romani Imperii Regem electum, & inde Imperatorem Aquisgrani coronatum, constanter suis adjuvit consiliis, unde hujus Electoris opéra & industriâ erectum est Tribunal Spirense *Iudicium camerale* dictum. Fœderis etiam Suevici suasorem fuisse perhibent & adjutorem. Cùm Bingii & Moguntiæ cives ob violata jura, mutuo dissiderent maximè, & jam vicinus Elector Palatinus Philippus cognomento Ingenuus armis instaret, singularis prudentiæ, ac inSuperos conceptæ spei posteris reliquit testimonium: ad pacis

cis enim consilia conversus Bertholdus diebus, ut vocat Ecclesia, Rogationum, publicis ipse Elector precibus constanter præsens, vicinos hostes ad communia vota invitavit, quo orandi exemplo pacem facillimè impetravit, mirantibus universis, præsertim vero Electore Palatino, Bertholdi constanter æstimatione dignissimi fiduciam: unde dixisse traditur: *en iste presbyter nobis strenue irridet, armister ritare ipsum conamur: & ecce quasi rerum omnium securus deambulatum vadit.* Postremum hoc notatu dignissimum: ob corruptos populi, & præsertim Sacerdotum mores, imminere nova etiam in religione placita, & poenas justissimo Dei judicio infligendas præsagiens an. 1499. Synodus collegit, ad quam post Episcoporum cœtum viros quosvis doctrinâ & virtutibus insignes convocavit, ut inveterato malo inveniretur idoneum remedium. Adhibita adversus morbos remedia in Bertholdo elusit mors an. 1504. postquam an. 20. universam Germaniam præclaris suis radiis illustravit sub Pont. Julio II.

## S E C U L U M XVI.

### LIII. IACOBVS ELECTOR XXXVII.

**J**acobus è Liebensteiniana Suevorum stirpe natus, avitis natalibus triplex decus adjecit nobilissimum, nimirum excellentem morum probitatem, doctrinam, & præsertim, Serario teste, Virginitatis florem. Relictum ab eodem hoc authore Jacobi compendium ad verbum huc transferre lubet, quod ita habet: *Iacobus, Liebensteinia Suevorum stirpe satus, ad Metropolitani Collegij Decanatum per venerat, excellente Vir probitate, doctrina, & virginitatis laude. Fuit die 30. Decembris an. 1504. ad Archiepiscopale gubernaculum admotus: neque est, quod in eo à quo- quam culpetur, nisi quod ad taxillorum ludum fuisse putetur aliquando propensior.*

Si nisi non esset, perfectus quilibet esset,  
Sed pauci visi, qui caruere nisi,

*Intersuit celebribus an. 1505. Coloniæ Comitiis, ad eumque Limpurgensis Abbatis contra Comitem de Leiningen, cuius ministri Cœnobium illius incenderant, causa relata*

H

fuit,

fuit, prout à Trithemio Epist. 31, proditum. Interfuit & Comitiis aliis. Iterum an. 1507. Constantiæ Comitiis, ubi de Germania pace bellisque adversus Venetos faciendo multa. Invaletudine, præsertim lumbagine fere semper conflictabatur. Obiisse ait Bruschius an. 1508. mense Septembri, & diem indicat M. S. L. 17. Calend. Octob. Epitaphium vero sic habet in summo templo: Iacobo de Liebenstein optimo & clementissimo Praesuli, qui anno, ex quo Pontificatum iniverat, secundo, mense Iulio die XVI. bonis omnibus Ecclesiæ vicem dolentibus decessit, posteri bene merenti posuerunt. Videntur autem hic ejus anni non ab Electione, sed à consecratione putari. Hucusque fere ad literam Serarius.

#### LIV. VRIEL ELECTOR XXXVIII.

**U**riel è Nobilium Suevorum de Gemmingen prosapia prodit in lucem, luce majori illustratus, dum legum Doctor, eodem tempore inter Nobiles rara avis, dein ædis majoris Moguntinæ Decanus, & tandem Ecclesiæ maximæ Elector est confirmatus. Ne inter Uriel & Erfordenses cives grave nasceretur bellum, authoritate sua impedivit Maximilianus Imperator Urieli clementissimus, dum misit litis arbitrum Laurentium Bibraeum Herbipolensem Episcopum laudatissimum. Convenit idem Elector interfuit Imperij publico Treviris præsente Cæsare, ubi inconsutilem Christi Servatoris nostri vestem denuo viderunt, & eadem Deum Hominem nostri causâ ornatum venerati sunt. Frugi Virum & parcum dixerunt non pauci Uriel: unde asserunt, cum forte incidisset in furem cellæ vinariae insidiantem, irâ adeo incensum fuisse, ut arrepto ligno obvio furis caput aut cervicem infregerit: quo inexpectato mortis eventu usque adeò mutatum, aut verius ad agendum poenitentiam conversum esse, meminerunt etiam, ut clam relicta Electorali dignitate Carthusianorum solitudinem sibi elegerit toti mundo mortuus an. 1514. Sedis 6. sub Julio II. Vide Serarium, qui partem hanc ultimam vocavit admodum dubiam, haud immerito: nam crebro fabula huic non absimilis in cellis vinariis, aut inter pocula nascitur, & dum bis tèrve repetitur, instar historiæ venditur, emitur, amatur & confirmatur.

LV.

## LV. ALBERTVS II. ELECTOR XXXIX.

**A**lbertus II. Marchio Brandenburgicus filius Joannis & frater Joachimi, utriusque Electoris Brandenburgici, an. Domini 1513. electus Magdeburgensium Archiepiscopus, & Ecclesiæ Halberstatensis Administrator, concordi omnium Canonorum calculo vocatus est in Thronum Moguntinum an. 1514. mense Martio. Legitimæ electioni continuò accessit Pontificia confirmatio Leonis X. & an. 1518. Romana Purpura, qua Augustæ Vindelicorum à Cardinalibus Thoma Cajetano & Mathia Gurensi pariter Episcopo, Pontificis Leonis X. nomine est exornatus. Hujus Archipræsulis plurimis naturæ, artis & gratiæ donis fulgentissimi ætate, à suis affeclis maximi æstimator Doctor Lutherus nova placita in lucem edidit, ob id iratus maximè Alberto, quòd Joannem Tezelium, e. D. Dominici sacra familia insignem Virum, neglecto Luthero antehabuisse, sacrarum Indulgentiarum & pœnitentiæ promulgatorem. Parvi pendendum tantillum virum primò existimavit tantus in Ecclesia & in Imperio Cardinalis & Elector. postquam verò vili pretiosum accedere, & cucullum Electorali Saxonum scuto vidit protegi, tunc enimvero totus adversariis novis contrarius, novo ardore dilexit decorum domus Dei, sacrarum præsertim reliquiarum insignis æstimator & exornator factus: nam Magdeburgo Moguntiam, Saxonum furori in sacras reliquias grassantium cedendum ratus, permulta Divorum ossa transtulit, in quorum honorem post D. Bartholomæi diem festum, diem alterum statuit selenniorem. Verni pariter jejunij observationem longè strictiorem & ipse observavit, & observari præcepit, in cuius parte ultima Dominicæ Passionis memoriam exhibitis publicè ejusdem insignibus, instaurari ritè mandavit, insuper habitis quibusvis illiciis ad defecctionem à Fide Romana invitantibus, sequiorum exemplis, bellis & tumultibus in Germanico præsertim Imperio gravissimis, laudatus

H 2

ob

ob hoc à multis illâ S. Codicis sententiâ notissima : *potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Quin & ipsius Lutheri testimonio hunc in modum est aliquando dilaudatus : *recte institutus est Romæ Albertus, ideoque Lutheranam doctrinam nostram flocci facit.* Contra hanc ipsam doctrinam in Germania præsertim novissimam, Albertus Moguntiam evocavit Societatis JEsu Patres eodem tempore ad-huc paucissimos: è prima quidem decade venit Petrus Faber, Vir nemini non Catholicorum pretiosus in Germania, præcipue verò Cardinali & Electori Alberto. Qualis quantisque hic fuerit, prodat carmine suo Poeta Lutheranus Georgius Sabinus Melancktonis gener ita canens :

Albertus jacet hoc loco sepultus,  
 Qui de sanguine regio creatus  
 Lumen cardinei fuit Senatus,  
 Qui virtute potentiâque rexit  
 Magni Saxonicas Ottonis urbes,  
**Et Moguntiaci fluenta Rheni.**  
 Nil Germania majus hoc habebat ;  
 Nam de litibus arduisque rebus  
 Conventus ubi Principes agebant,  
 Verbis promptus & elegante lingua,  
**Ceu Laertiades regebat alter**  
 Tutum consilio suo Senatum :  
 Ac tot diffidiis ubique motis  
 Terrarum bene consulebat orbi.  
 Pacis Suasor erat, quieta pacis  
 Sævis ocia præferebat armis :  
**Quin & justitiæ tenax & æqui**  
 Dignas fontibus irrogare pœnas,  
 Complectique bonos, & innocentes  
 Mitis non secus ac parens solebat.  
 Nec fulvum sibi congregabat aurum,  
 Doctos munera conferens in omnes :  
 Dispensabat opes, manuque larga  
 Sacras Pieridum fovebat artes.

hunc

Hunc lugubria tectus ora velo,  
Albis, Rhenus, Havelus, hunc peremptum,  
Fontis Pegasei cohors, & omnis  
Est respublica prosecuta fletu.

Mortuus est Elector Albertus an. 1545. sedit an. 31. sub Pontificibus Leone X. Adriano VI. Clemente VII. Paulo III.

### LVI. SERASTIANVS ELECTOR XL.

**S**ebastianum nobilis Heusenstammiorum gens in Hassia edit in lucem, cui nato splendorem insignem addiderunt Doctoris insignia è Pontificio simul & Cæsareo Jure collata, & eo tempore inter nobiles pretiosa. Decus tertium exornavit priora maximè, quod Elector hic à virtutibus multis, præser-tim verò ab avita in religione constantia sibi hausit, & tanquam scuto adversus quasvis bellorum tempestates firmissimo fese de-fendit, post extinctum Cardinalem Albertum in Comitiis Impe-rij suam testatus constantiam, periculo solis hostibus tunc formi-dando. Certè si ullus Germanorum Electorum, aut aliorum Virorum Principum post initum foedus Schmalkadicum succurrit periclitanti Cæsari Carolo V. is fuit Sebastianus, qui Buranum Comitem Maximilianum ex Belgio per Moguntiæditiones in Germaniam copias Cæsari adducentem strenuè adjuvit, & majori victoriæ sua minori prælufit, ubi nimirum Christophorus Oldeburgicus, & Rifebergus Protestantum, uti appellantur, Du-ces propè Moguntiam fusi fugatique sunt. Conventibus dein pluribus Augustæ Vindelicorum & alibi celebratis interfuit con-stanter Elector, qui quemadmodum loco & dignitate, ita etiam industriâ, sapientiâ & zelo eminuit, & Concilium Tridentinum de rebus cunctis scitu necessariis ac utilibus edocuit. Nec interea destitit indicere Synodos Diœcesanos & Provinciales, in quibus & Episcopos, & horum Sacerdotes subditos singulari eloquentia, ar-dore & animarum zelo fuit adhortatus ad munus suum strenuè obeun-

obeundum. Atque ut absque longiori mora quisque data sequetur monita, injunctaque observaret præcepta, exemplo in rebus omnibus præluxit, nunc iter difficile ac periculosum in se se suscipiendo, nunc Suffraganeos suos, nunc Oratores sacros aut Legatos mittendo, ut succurreret eminus atque cominus: peragratiss nempe pluribus Germaniæ provinciis tandem an. 1551. mense Septembri cum Archiepiscopo Trevirensi Tridentum petiit, magna susceptus omnium Patrum lætitia & gratulatione, quod spem conciperent, fore ut tantis è Germaniæ Præsulibus & Viris Principibus intellecturi essent consilia & sententias restituendæ Germaniæ Ecclesiæ falluberrimas. Sed dum Sebastianus cum Eleitoribus Trevirensi & Coloniensi, qui brevi secutus jam advenierat, Tridenti Concilio solertissimam dant operam, interea hostes in ditiones maximè Moguntinas grassati mense Martio an. 1552. Archipræsulem Moguntinum ad propria redire compulerunt. Albertus præcipue Brandenburgicus Elector in Moguntiæ ruinam intentus, nec ulla vi repellere, nec auro copiosissimo potuit satiari: unde Elector suam Moguntiam relinquere coactus, Argentoratum ascendit; sed inde etiam fugatus in Brisgoiam pervenit per sylvam Hercyniam & Sueviam ad Cæsarem profectus Augustam, tandem absoluto admodum difficiili viæ circulo Moguntiam rediit, obortis lacrymis inter cineres suas ditiones contemplans, & latenteribus sub ruina multorum subditorum cadaveribus parentans. Dedit tamen etiam Deo more seditionis Ducum multorum pœnas justissimas Albertus: à Mauricio enim Electore Saxonie relictus, & mox superatus, à Sebastiano Archipræsule aliisque Heilbrunnæ Viris Principibus banno Imperij subiectus, pauloque post à Cæsare ipse proscriptus, in Galliam auffugit. Elector verò Sebastianus curis & laboribus fractus, dum an. 1555. ad Comitia Augustæ rurum celebranda est evocatus, mortis accepit nuntium post annum Sedis 11. acceptissimus Paulo III. & Julio II, Romanis Pontificibus.

LVII.

## LVII. DANIEL ELECTOR XLI.

**D**anielis Electoris Moguntini præstantissimi gesta brevi compendio conscripta qui desiderat, is monumentum à Danielis Successore scriptum legat, quod ita habet:

*Daniel Dei gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, & è nobili familia Brendel ab Homberg an 1555. etatis 33. electus, Ecclesiam annis 27. optimè pacificeque rexit, haud paucis emolumentis auxit atque ampliavit: iustitiam coluit, religionem promovit, charus omnibus extitit. Duos Imperatores Maximilianum II. & Rudolphum II. coronavit. Inculpatè vixit, sacramentis Catholicis perceptis, piè placideque quievit, desiderium sui luctumque cunctis reliquit. Obiit A. schaffenburgi an 1582. 22 Martij. C. A. R. I. P. Successor Praedecessori bene merito posuit.*

His adde Roberti Turneri natione Angli Oratoris dissipitissimi & eruditissimi brevem synopsin, qua Moguntiae transiens depinxit Archiepiscopi Danielis mores: *Homo est Archiepiscopus ius moribus, quibus deberes fingere Principem. Princeps est ea facilitate, qua cuperes formare hominem, ut possit dici & homo Platonis, qualem solum antiquitas putabat Socratem; & princeps Aristotelis, qualem semper omnis Res publica optabat Rectorem. Canis loquuntur senem, firmæ vires juvenem. Hujus speciei nonne vides laudem? & cano colore maiestatem Archiepiscopi. & firma vi onus Principis sustinet egregie. Religionis sufficiendæ, confirmandæ quo studio teneatur, abunde satis inducit templum à fundamento non ita pridem erectum, & eleganti opere, vario labore, imagine rara peregregie expolitum. Ambrosii videor maiestatem exprimere, atque aedœ Ambrosij jam tonantis in Theodosium. Magis crederes, si his addas ejus humanitatem, amorem; quippe sic except Bavaros, sic amavit Catholicos, ut quod tanta suavitate exceperit hospitalis; quod tanto studio amarit, Pij non solum meritus sit nomen, sed etiam vicerit notionem.*

Singulos ferè apices hoc compendio contentos multis paginis prosecutus est Serarius. Compendium etiam hoc loco sufficiat: addere simul sit satis verba Danielis precatorio libello, & tabulæ constanter oculis patenti inserta:

- |                        |                              |
|------------------------|------------------------------|
| 1. Vita brevis.        | 6. Victoria anceps.          |
| 2. Forma decipiens.    | 7. Concordia fallax.         |
| 3. Pecuniae fluxæ.     | 8. Senectus m'sera.          |
| 4. Imperium invisum.   | 9. Mors felicitas.           |
| 5. Bellum perniciosum. | 10. Sapientia fama perennis. |

Summa

Summa Moguntinæ Ecclesiæ felicitate sedit an. 27. mortuus  
an. 1582. Ecclesiam gubernarunt ea ætate Pontifices Marcellus II.  
Paulus IV. Pius IV. D. Pius V. & Gregorius XIII.

### LVIII. WOLFGANGVS ELECTOR XLII.

**W**OLfgangus in Vangionibus & Nemetibus antiquo Cameriariorum, aliis Dalbergorum, stemmate ortus, in Spirensi simul & Moguntina æde principe eminuit Canonicus, ac lapsò tempore utrobique Prepositus. Lectus denique Archipræsul, dum Canonicorum alij Julium Heripolensem Episcopum judicarunt postulandum, insigne tulit enconium, Julianum & ipse sibi longè anteferendum clamitans. Mox dein Augustam ad Comitia Imperij publica vocatus, causam geminam eamque perdifficilem juvit discutere, quarum altera Heterodoxorum querelas, altera Gebhardi Archiepiscopi quondam Colonensis ad Luteranorum connubia verius, quam religionem transfugium spectabat. Sebastiani & Danielis Antecessorum suorum vestigiis gnaviter insistendum ratus, infectos novitatibus libros procul Catholicorum oculis removeri mandavit, non alia de re locutus jucundiùs, quam de reductione in errores lapsorum, quibus & ipse succurrit consiliis & auxiliis potentissimus. Præbuit ea res ansam Calvini & Lutheri asseclis, rumore & libellis infamibus proscindendi Societatem JESU, à Sebastiano, Daniele & Wolfgango maximi habitam, quod horum ultimus ostendit maximopere, testimoniis publicis adversariorum commenta refellens, & Virorum Principum auxilia ea super re implorans. Unde ad Regem Poloniæ etiam dedit literas ob commentum Provinciæ Societatis Polonicae irrogatum à Germanis Calvinianis. Inter maximi nominis principes, quos eo tempore Moguntia fuit venerata, fuerunt Philippus & Ferdinandus Guilielmi Ducis Bavari filius uterque, magna Wolfgangi voluptate in Atheneo Societatis publico

virtutibus

virtutibus & literis navans operam: quibus accessit Carolus Serenissimi Lotharingiæ Ducis filius Metensis Episcopus in Canonicorum Moguntinorum Album tum temporis relatus. Compendio dicantur multa. Quod belli & pacis tempore desiderari ultra poterat in Wolfgango, non erat: hostis enim cum nunc instaret minus à Romana Ecclesia fugitivus, aut minus in Hungaria Mahometanus, muneri suo Elector examissim satisfecit. Interea prægravi senectute domi detentus in sua provincia, nihil non egit, ut Ecclesiæ, Imperii & suam causam ageret. Serarius Wolfgangi gesta clausit hac coronide: *Funebrem habuit concionem R. D. Ioan. Elgardus SS. Theologie Doctor ejusdemque Principis Sacellanus. Multa de illo dixit, oculatus ipse testis, præclara.* I. quod in ægritudine illa sua, cum quadragesimale ageretur jejunium, nulli aut Medico aut alteri carnium ejus suadenti cedere voluerit. II. Quod quotidianas Canonicasque precationes omni omnino die, ne in lethali quidem morbo eas intermittendo diligenter precatus. Et hic memini Oratorem, justo quodam dolore commotum, in eorum tempore ac desidiam Clericorum invectum, qui nulla sepe aut levi certe causa domi vel foris, Officii statisque sui prorsus immemores. Sancto illi Sacrum precum debito non satisfaciunt. III. quod admodum demissæ, magnoque cum animi dolore de peccatis confessus sit, idque audio, illum etiam solitum antea observare & à Confessario Patre, ut se moneret, ac reprehenderet liberè, petere: peccatorem in se esse, Dei vices illum sustinere. IV. Cum damni aliquid segetibus a feris inferri querelæ ab eum venissent: malo, dixit, ferinis perpetuo carere carnibus, quam detimento affici subditos. Diem suum obiit an. 1601. postquam sedit an. 19. sub Pont. Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII.

## SECULUM XVII.

### LIX. IOANNES ELECTOR XLIII.

**J**OANNES ADAMUS ex illustrissima Bikiorum stirpe germen nobilissimum Heripoli & Moguntiæ mansuetioribus & severioribus instructus literis, Franciam & Italiam petiit, ubi ob corporis venustatem & præclaram indolem uno altero in hospitio

I

ten-

tentatus, vicit & triumphavit lacrymis etiam detestatus lascivorum insidias. Moguntiam reversus, & an. 1595. Scholastici, ut appellant, officio honoratus, à perpetuis consiliis fuit Wolfgango Electori; ubi jam tum rem in Eychfeldia Catholicam promovit, & Heiligenstadiense Societatis JESV Collegium auxiliis firmavit eò loci Legatus missus. An. 1601. ætatis suæ 36. electus Archipræsul, quæ verbis, quæ factis sese præstítit cunctis pretiosissimum. Commodè an. 1602. promulgatum Jubilæum Electoris hñjus monstravit exempla insignia: in æde enim sacra exhomologesi lustratâ conscientiâ, Deum Evcharisticum è sui Suffraganei manibus accepit, id facientibus Canonicis & civitatis primoribus, ac demum populo numerosissimo. Aliàs verò solenniori modo ad Aram ipse operatus, aut Processionum publicarum Ducem aut Comitem se exhibens, post se attraxit latè circumfusos populos, & quidem etiam Heterodoxos. In hos qualis fuerit Adamus, palam ostendit disceptatio publica præsente Christianissimo Rege & Electore hoc ab Ebroicensi Præfule simûlque Calvinianorum coryphæo Plessio instituta: ejusdem enim disceptationis synopsin è Gallico in latinum idioma translatam, ac nomini suo dedicatam tam magis fecit, ut detracto è digitis annulò pretiosissimo offerentem sibi devinxerit, palam testatus, placere sibi maximopere argumenta adversus novatores proposita Libros è contrario novis placitis infectos Vulcano consecrari, vel saltem removeri mandavit, & plurimos, nisi communia eaque sacra Romana præplacerent, à Catholicorum mensis exclusos voluit. Zelum Electoris sui ardentissimum laudarunt maximè Comitatus Königsteinianus & Reineggensis, in quibus Catholicæ Religionis præclara jecit fundamenta, & Electorali sua præsentia, quod minùs se opponerent, absterruit Heterodoxos; excitavit verò ad constantiam Orthodoxos. Igitur nihil magis, quam longè majorē inter vivos ætatem desiderarunt omnes boni in Electo-

re

re hoc, de quo dicebant, consumatus in brevi explevit tempora multa, 3. nempe annorum compendio vivis est eruptus an. 1604. sub Leone XI. Pont.

## LX. IOANNES ELECTOR XLIV.

**I**oannes Schyvvardus perquam nobilis & antiquæ familie de Cronenberg decus, in Germanico Romæ Collégio virtutibus & literis juventutem exornavit. In patiam reversus ab Archipræsule Wolfgango constitutus est in spiritualibus Vicarius, à Metropolitanis verò delectus Scholasticus, dehinc Decanus, ac demum Archiepiscopus an. 1604. Inter Electores Moguntinos postremus fuit omnium, quos aliorum authorum potius, quām suo testimonio celebratos nobis reliquit Serarius. Paucissima cur de eodem scripsit, causa fuit, quod scribenter absterruerint & viventis Antistitis modestia, & Historicorum multorum regula, qua cautum sibi dicunt, ut non nisi mortuorum gesta scribant, ne adulatio[n]is incurvant notam. In compendiis etiam *ex ungue Leones* oportet cognoscere: tantus verò fuit Schyvvardus *Leo*, ut supremas in orbe *Aquilas* Rudolphum II. & Mathiam Augustos fratres sua potissimum autoritatē denique conciliaverit. Eminus & cominus contra *Pseudoleones* in Bohemia indutus armis, inter Victores Principes meritò potuit numerari: eapropter à Christiano Brunsuicensi Duce post Pragensem cladem bello vexatus durissimè, Joannem Tillium suum laudavit liberatorem. Genuinos dein æstimare & promovere doctus *Leones* Schyvvardus, rejecto suâ etiam sententiâ Friderico Bohemorum seditionis antesignano, *Leonem bavarum*, Maximilianum I. suo calculo elegit Imperii Dapiferum. Amicis igitur & *Aquilis* & *Leonibus* tutus atque securus, nec latum unguem cessit Acatholicis, difficultia sanè passus tempora, ubi nimirum per annos 30. continuos bellum pro aris & focis à nonnullis Pseudo-Christianis, Heterodoxis, & Mahometa-

nis in id unum conspirantibus suscepitum est, ut si non penitus solo æquare, saltem multis modis & machinis concussam intueri liceret Romanam Ecclesiam, aut Romanum Imperium. Annus Schvnicardo fuit ultimus 1626. Sedit itaque annis 22, una cum Pont. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.

### LXI. GEORGIVS FRIDERICVS ELECTOR XLV.

**G**eorgius Fridericus de Greiffenclau ad Rhenum ex antiquo & perillustri sanguine natus, suis laude dignissimis gestis eundem maximopere exornavit: vestigiis enim Richardi avunculi sui prioris seculi inter Trevirenses Archiepiscopi præclarè institut ab ineunte ætate, cùm primùm Moguntiæ Canonicus, mox verò Præpositus, dein Wormatiæ Episcopus, & demum Moguntiæ Archiepiscopus est promulgatus. Interpræclara opera Friderici numerandum venit Imperatoris mandatum, vulgo *Edictum Restitutorum* nuncupatum, quo Heterodoxi in Imperio Viri Principes restituere sunt iussi adempta Ecclesiæ jura & bona: unde natus est tumultus inter malæ fidei possessores maximus, jure belli ea sibi debere vociferantes, & ampliora desiderantes. Annis non nisi 3. Moguntinam rexit Ecclesiam Fridericus sub Pontifice Urbano VIII. an. 1629. jam mortuus, cui longius ævum optarunt non modò Viri clarissimi ex Greiffenclauensium genere oriundi, atque inter Moguntinos celeberrimi, sed in Ecclesia & in Imperio omnes boni.

### LXII. ANSELMVS CASIMIRVS ELECTOR XLVI.

**A**nselmus Casimirus Perillustrium Equitum cognomento Wambold de Umstatt dictorum insigne decus, inter totius Germaniæ hostiles strepitus est promulgatus, omne nequa-

quaquam fausto : patiendum namque & agendum fortiter eo ipso  
 armorum strepitu dici ritè existimavit sibi, tanto tempore eris Antistes, quanto tempore ignis Martius Romanum turbabit Imperium. An. 1631. à Suecis Moguntiâ Coloniam auffugere compulsus, ex tristibus nuntiis intellectus Aschaffenburgum, Höchstium, Bingum, & Germershemium ab hostibus esse expugnata & occupata. Mox secutus nuntius prioribus tristior, cedentibus Hispanis Moguntiam etiam Suecis esse traditam, cives gravissimis tributis onerari, agrestem plebem Moguntino Archipræsuli subditam durissimè haberi : paucis multa, Heterodoxorum hostium arbitrio universas Moguntini Electoris ditiones esse relictas, referebat. Auno 1635. Moguntiam stratagemate liberaturi Duces Cæsarei & cives, incassum laborârunt tristissimo rei eventu: agrestium enim non nemo Secreti hujus conscius, & à Suecis interceptus, dum dolum aperuit, civium plurimis exitium peperit. Eodem tamen anno restituta Moguntia, anno tandem 1636. reducem ab exilio recepit Archipræsulem, qui eo ex tempore variam tulit belli aleam, nunc his nunc illis pressus hostibus, quos suis etiam intervallis distinxit Mars amicus, siqua tamen possit esse Marti sincera amicitia. *Nulla salus bello pacem depositimus omnes,* creberimè exclamavit Anselmus, inter bella tamen mortuus an. 1647. Francofurti dum de pace Westphalica inter Imperii arbitros etiam ipse deliberavit an. Sedis 18. sub Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X.

### LXIII. IOANNES PHILIPPVS ELECTOR XLVII.

**J**oannes Philippus perantiqui, & hodie per Europam univer-  
 sam clarissimi Stematis de Schönborn Lucifer, à primis suis in-  
 cunabilis insignia dedit documenta, qua sit origine natus, & cui  
 bono, nimirum per Ecclesiam & Imperium maximo sit educatus.

Pa-

Pacis Westphalicæ invito Pontifice unà cum viris Principibus mul-  
tis subscribere coactus, ex malis plurimis elicuit etiam illud bonum,  
quo provinciam, Viam Montanam nuncupatam, & jam seculis  
duobus Palatino Electori elocatam, solutâ auri summâ gravissi-  
mâ redemit. Annis ab inita pace proximis pacis fructus ubique  
collegit, ut ditiones Moguntinas, quin in Imperio universas ab  
hostibus convulsas consiliis & auxiliis restitueret. An. 1658.  
Ferdinando III. Cæsari justis persolutis, Leopoldum Imperato-  
rem Francofurti coronavit, ubi simul lis inter Electorem Mogun-  
tinum & Colonensem pridem de coronatione Cæsaris exorta, ea  
tandem lege est composita, ut si seculis venturis coronaretur Im-  
perator in urbe Electoris Moguntini jurisdictioni subjecta, coro-  
nam Augusto imponeret Moguntiæ Elector; si verò urbs alia Co-  
lonensi Archipræfuli subdita similem consequeretur honorem,  
coronâ Imperii Imperatorem exornaret Antistes Colonensis. Si  
tandem urbs neutrius potestati mancipata coronando Imperatori  
idonea deligeretur, honore alterno gauderet nunc Elector Mogun-  
tinus, nunc Colonensis. Discordias etiam Erfurdiæ ab aënis multis  
permolestas eo tandem sustulit fructu, ut privilegio libertatis Im-  
perialis privatam penitus fecerit ditionis suæ, sola religionis libertate  
civibus relicta. Desidium dein inter Electorem Moguntinum  
& Palatinum de jure venationis motum facile discussit Philippus.  
Plurimis alijs tum Ecclesiæ, tum Imperij causis ritè componen-  
dis est adhibitus, Pontifici & Imperatori pretiosus Antistes, qui  
nullis difficultatibus absterritus crebrò dixit: *Dùi laboribns omnia vendunt,*  
unde eiusdem aula gloriose nomine *Aula laboriosa* passim est nuncu-  
pata & laudata. Cum verò post absolutos crebrò labores glriosos  
adessent, ut fieri amat, adulatores aulici, cum stomacho quamprimum  
rejecit, dicere solitus: *non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da*  
*gloriam.* An. 1673. Sedis 27. agoni proximus inter alia multa no-  
tatu dignissima dicta illud non fuit postremum, quo pronuntiavit:  
*DEO, in cuius conspectu sto, notum est, quod Ecclesia, Imperator & Romano Imperio*

con-

*constanter servire amarim* Sedit sub Pontificibus Innocentio X. Ale-  
xandro VII. Clemente IX. & Clemente X.

#### LXIV. LOTHARIUS FRIDERICVS. ELECTOR XLVIII.

**L**otharius Fridericus ex Comitum de Metternich multis  
iisque clarissimis infulis, aliisque tum Ecclesiæ tum Imper-  
rii nobilissimis insignibus exornata prolapia ortus, suis me-  
ritis maximis consecutus est Pastorale Pedum Spiræ, Wormatiæ &  
demum Moguntiæ. Tantos honores & vitam diurniorem in-  
vidisse Lothario visi sunt Galli, qui eodem anno 1673. quo le-  
ctus est Archipræsul, Aschaffenburgum occuparunt dolore Elec-  
toris sui maximo. Præfecturam etiam Bökelhemensem cede-  
re jussus ab Imperatore Electori Palatino, afflictionem tulit alte-  
ram. Tertiam addidit mors repentina apoplexiæ malo sternens  
Lotharium, cuius agonizantis ultima verba totius vitæ compen-  
dium & testimonium hæc fuere: *in manus tuas Domine commendo Spiritum  
meum.* Sedit an. 2. sub Clemente X.

#### LXV. DAMIANVS HARTADVS. ELECTOR XLIX.

**D**amianus Hartadus Caroli Caspari Electoris Trevirensis  
Germanus frater, per antiquam familiam suam Baro-  
num de Leyen non minùs, quam alii plures vel infulis  
excelsi, vel togâ sagisque illustres decoravit. Eam igitur ob cau-  
sam Wormatiæ Episcopus electus, & Moguntiæ Archipræsul cre-  
atus, plura præclaris desideriis, quam opere præstítit, non nisi 3.  
annorum Elector; quo temporis spatio Successoribus magnifi-  
cam extruxit Moguntiæ Sedem: cui proinde dixerunt mortuo:  
*Sic vos non vobis nesciatis aves.* Multis suis egregiis factis, quorum ta-

men

men non nisi obscuram habemus notitiam, non propriam, sed divini Numinis gloriam scopum præfixisse ex eo conicere licet facile, quod in agone ultimo nunquam non repetendum sibi putaverit illud, quod Ecclesia Orthodoxa continuò repetit dicens: *Gloria Patri & Filio & spiritui sancto.* Mors vivis eripuit an. 1678. sub Pont. Innocentio XI.

## LXVI. CAROLVS HENRICVS ELECTOR L.

**C**arolus Henricus de Metternich Lothario Friderico Mo-guntiæ Electori abhinc annis 4. defuncto sanguinis propinquitate simûlque morum & studiorum conformitate conjunctus totidem, quot ille, vixit annos, an. ætatis 57. jam sepultus, decem mensium duntaxat Elector. De Ecclesia simul Moguntina & Trevirensi optimè meritum dixerunt præsertim Canonici illi, qui primò utriusque Ecclesiæ custodem, mox verò Moguntiæ, ut vocant, Chori-Episcopum, & demum Archipræsulem elegerunt. De Imperio non minùs optimè meritum dixit testis maximus Leopoldus Imperator, qui Carolum hunc ob varias legationes laudatissimo modo obitas, & præclara alia in Rem-publicam merita Imperii Comitibus annumerandum censuit. Cæterùm quantam Elector hic fiduciam in DEum conceperit, verbis propriis instar Symboli ftequenter adhibitis manifestavit, dum dixit: *spe fretus divina, saltando superabo mania,* Saltus tamen aut lapsus immaturus nimis præcipitem egit in sepulchrum an. 1679. sub Innocentio XI.

## LXVII. ANSELMVS FRANCISCVS. ELECTOR LI.

**A**nselmus Franciscus ex clarissima familia Rhenana de Ingelheim mundo natus, in Moguntina æde Cathedrali di-versos contendit honorum gradus, quos inter Archipres-byteri

byteri non fuit postremus. Erfordiæ exinde urbi Administrator datus, multis virtutibus suis amplius illustravit alias jam præclarum nomen. Creatus denique Moguntiaæ Elector inimica sustinuit fata, primò intentata, & mox inficta à Gallis Germanorum hostibus, à quibus Sedem relinquere suam coactus, Erfordiam auffugit, ubi per annum commissarius inter spem metumque hæsit. An. 1689. à Cesareis copiis Soli restitutus, venit inde Augustam Vindelicorum, ubi coronis regis Augusta Capita, nimirum Josephum Romanorum Regem, & huius Genitricem Eleonoram Magdalena exornavit, rebus multis aliis in Imperii emolumentum ibidem compositis. Annis reliquis unum, quin & alterum sibi delegit Adjutorem, quorum primus Ludovicus Antonius Dux Palatinus in flore ætatis an. 1694. est defunctus, singulari Moguntinorum, Wormatiensium, & Leodiensium, quibus jam prius Episcopus præluxit, luctu ac mærore. In huius igitur locum vocavit sibi in officio arduo Adjutorem, quem etiam hodie demississime veneramus Lotharium Franciscum, cui Anselmus post Sedis annos 16. an. 1695. quævis in terris reliquit onera, & munera. Sederunt Pontifices Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII.

### LXVIII. LOTHARIUS FRANCISCUS ELECTOR LII.

**L**otharius Franciscus inter sydera Schönbornensia, ut ita dicamus, in coelo Ecclesiæ militantis, & Imperii Romani pugnantis accertantis, jam pridem, hodièque lucidissima, Ecclesiam Bambergensem an. 1693. majori suo lumine cœpit illustrare, lectus eodem tempore Episcopus. Idem anno, ut dictum superius. 1649. Moguntino Archiepiscopo Coadjutor, ut vocamus, exoptatus perbene, an. 1695. extinto Anselmo Eletore tanquam clarissimo lumine inter primæ magnitudinis sy-

K

deræ

dera in Ecclesia & Imperio quaquaversum suos emisit radios, domi forisque, eminus & cominus, consiliis & auxiliis potentissimus. His paucissimis lineis, hoc aliisque huic similibus locis contentus, de vivis haud pergam scribere; calamum tamen non excutiam, sed atramento, aut melius, colore pretiosissimo servabo plenum tempori, ut nimirum posteri post fata Lotharii aliorumque Virorum Principum unà cum pictoribus egregia mortuorum facta possint scribere, & pingere literis aureis. Interea vivis vitam optare longissimam, sit inter prima Historici desideria, ut pote in cuius votis sint Virorum Principum non tam fata ultima, quam facta optima.



Præ-